E S. RITUUM CONGREGATIONE

I.

VICEN.

Ad quandam controversiam tollendam circa interpretationem decretorum 3903 *Aucto* 8 Junii 1896 et 3944 *Bomana* 12 Ianuarii 1897 quoad Missas lectas de Requie, hodiernus Caeremoniarum magister Basilicae Cathedralis Vicensis in Hispania, de consensu sui R.mi Episcopi, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia enodanda humillime exposuit; nimirum:

I. Utrum ex enunciatis decretis Missae lectae, quae a Sacerdotibus celebrantur in Ecclesiis et Oratoriis civitatis pro defuncto, cadavere insepulto vel sepulto non ultra biduum a die obitus seu depositionis, celebrari valeant de *Requie*, dummodo in parochiali Ecclesia fiat funus cum Missa exequiali; an hoc privilegium sit proprium tantummodo Ecclesiae, in qua funus peragitur cum sua Missa exequiali?

II. Utrum quilibet Sacerdos possit unam tantum Missam de Requie celebrare, vel plures, diversis diebus, dummodo cadaver sit insepultum non ultra biduum?

III. Utrum pro defuncto, qui morabatur in civitate et obierit extra civitatem, possint etiam

in ipsa civitate praedictae Missae lectae de Requie celebrari?

IV. Quomodo intelligenda sit praesentia physica vel moralis requisita in decretis suprarelatis?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit:

Ad I. *Negative* ad primam partem, *Affirmative* ad secundam.

Ad II. Stetur Decretis.

Ad III. et IV. Provisum in praecedentibus; et Missae privatae de Requie nonnisi in Ecclesia vel Oratorio publico permittuntur ubi fit funus cum Missa exequiali: in Oratoriis autem privatis Missae, quae ibidem legi permittuntur, possunt esse de Requie, praesente cadavere in domo; servatis ceteris clausulis et conditionibus.

Atque ita rescripsit. Die 3 Aprilis 1900.

Cai. Card. Aloisi-Masella S. R. C. *Pro-Praef.*

L. ✠ S. D. Panici S. R. C. *Secret.*

II.

VICEN.

Hodiernus Caeremoniarum magister Basilicae Cathedralis Vicensis in Hispania, praehabito consensu sui R.mi Episcopi, Sacrorum Rituum Congregationi ea quae sequuntur pro opportuna declaratione reverenter exposuit, nimirum: Cum orator accepit possessionem Beneficii, cui offi-

cium magistri caeremoniarum est adnexum, vigebat in Basilica Cathedrali Vicensi consuetudo, qua magister caeremoniarum habitu chorali seu Beneficiarii proprio utebatur in munere caeremoniarii exercendo. Hac consuetudine deposita iuxta decretum 3840 Granaten. 14 Decembris 1894, alia invecta est praxis consentiente R.mo Capitulo eiusdem Basilicae Cathedralis; videlicet: magister caeremoniarum vestem violaceam adhibet cum superpelliceo, quotiescumque officio suo fungitur sive in altari sive in choro, exceptis casibus, in quibus Vesperae, *Te Deum*, et Laudes tantum solemniter in eadem Basilica canuntur, ne ipsemet discedere a choro debeat in principio Completorii et in fine Matutini ob habitus mutationem. Hisce positis, idem Orator ut supradicta praxis concordet cum Caeremoniali Episcoporum et Decretis, expostulavit:

I. Utrum in Pontificalibus functionibus Episcopi Ordinarii sive in Cathedrali, sive extra ipsam, in propria tamen Dioecesi, magister caeremoniarum veste violacea uti debeat?

II. Utrum etiam in Pontificalibus ab alio Episcopo, de consensu tamen Ordinarii Diœceseos, celebratis eandem vestem adhibere valeat?

III. Utrum tali veste uti possit vel debeat quando celebrat Capitulum Cathedrale, sive in ipsa Basilica sive extra, tam praesente quam absente Episcopo?

IV. Utrum etiam eandem vestem induere valeat in Vesperis, Completorio, Matutino et Laudibus solemnibus?

V. Quo habitu uti debeat cum solemniter tantum Vesperae, *Te Deum* et Laudes canuntur; et an e choro exire debeat tempore opportuno ad mutandum habitum?

Et sacra eadem Congregatio, referente subscripto Secretario, exquisito voto Commissionis Liturgicae, respondendum censuit:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Affirmative, si Capitulum Cathedralis Ecclesiae intersit.

Ad III. Serventur Decreta 2310. Aquilana 22 Ianuarii ad 3, et 2621. Dubiorum 17 Septembris 1822 ad 12.

Ad IV. Affirmative, sed ad normam Decretorum ut supra in dubio III.

Ad V. Quoad primam partem provisum in praecedentibus: quoad alteram servari potest praxis praesertim Basilicarum Urbis.

Atque ita rescripsit, die 3 aprilis 1900.

Cai. Card. Aloisi-Masella S. R. C. *Pro-Praef.*

L. ✠ S. D. Panici S. R. C. *Secret.*

III.

RITUS ET FORMULA

BENEDICTIONIS ATQUE IMPOSITIONIS SCAPULARIS SACRI CORDIS IESU.

Suscepturus Scapulare Sacri Cordis Iesu genuflectat, et sacerdos Apostolica facultate pollens, stola alba indutus, capite detecto dicat:

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.
℟. Et salutare tuum da nobis.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Iesu, qui ineffabiles Cordis tui divitias Ecclesiae sponsae tuae singulari dilectionis beneficio aperuisti: hoc scapulare eiusdem Cordis tui emblemate decoratum bene✠dicere digneris; ut quicunque illud devote gestaverit, intercedente Beata et Clementissima Genitrice tua Maria, virtutibus et donis coelestibus ditari mereatur: Qui vivis et regnas etc.

Postea Sacerdos Scapulare aspergit aqua benedicta illudque imponit, dicens:

Accipe, frater, hoc scapulare Sacri Cordis Iesu, quo ornatus in honorem et memoriam amoris et passionis eius, per intercessionem Beatae Mariae Virginis Matris Misericordiae, divinae gratiae largitatem et aeternae gloriae fructum consequi merearis. Per eumdem Christum Dominum nostrum (1).

Deinde una vice cum adscripto dicat sive latino sive vernaculo idiomate sequentes preces iaculatorias:

(1) Si scapulare mulieri imponatur, dicatur: *Accipe Soror* etc. Si vero pluribus, tum omnia plurali numero dicantur.

Iesu mitis et humilis corde, fac cor nostrum sicut cor tuum.

Maria mater gratiae, mater misericordiae, Tu nos ab hoste protege, et mortis hora suscipe.

DECRETUM.

Quo Caritas Dei per Spiritum Sanctum diffusa constanter maneat et regnet in cordibus hominum, mirabiliter confluunt divina sacramenta et religiosae celebritates.

Inter has accensenda est solemnitas in honorem Sacri Cordis Iesu ab Ecclesia instituta, per quam non modo Cor Filii Dei et hominis adorandum et glorificandum proponitur, sed etiam symbolice renovatur memoria illius divini amoris quo idem Unigenitus Dei Filius humanam suscepit naturam, et factus obediens usque ad mortem, praebuit hominibus exempla virtutum, seque ostendit mitem et humilem corde. Verum studiosa fidelium pietas alios invexit modos, quibus ad eundem finem devotio erga Amantissimum Cor Iesu iucundis uberibusque fructibus ferax propagatur. Penes quamplurimos Christifideles pia ac laudabilis viguit ac viget consuetudo gestandi supra pectus emblema ipsius S. Cordis Iesu, ad instar scapularis, quae consuetudo a Beata Margarita Alacoque quodam coelesti lumine illustrata originem duxit, et ab Apostolica Sede partialibus indulgentiis locupletata est. Quum vero similis devotio foveatur et maiora in dies capiat incrementa praesertim in

Galliis finitimisque regionibus; humiles enixaeque preces SS.mo Domino Nostro Leoni Papae XIII porrectae sunt, ut ad maiorem Regni Christi eiusque divini amoris propagationem et gloriam provehendam, scapulare proprie dictum Sacri Cordis Iesu, cum apposito ritu et formula benedictionis atque impositionis approbare dignaretur. Hoc scapulare conficitur ex binis de more partibus laneis albi coloris, per duplicem chordulam seu vittam coniunctis, quarum una habet emblema Sacri Cordis Iesu, prouti pingi solet, altera autem refert imaginem B. Mariae V. sub titulo *Mater Misericordiae*. Sanctitas porro Sua, has preces peramanter excipiens, ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, scapulare supradescriptum benedicendum atque imponendum ritu et formula, quae huic praeiacent decreto, ab iis tantum quibus facultas ab Apostolica Sede concessa fuerit, approbare dignata est. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 4 Aprilis 1900.

Cai. Card. Aloisi Masella *Pro-Datarius.*

L. ✠ S. S. R. C. *Pro-Praefectus.*

D. Panici *Secr.*

IV.

RITUS ET FORMULA

BENEDICTIONIS ATQUE IMPOSITIONIS SCAPULARIS SACRORUM CORDIUM IESU ET MARIAE.

Susceпturus Scapulare Sacrorum Cordium Iesu et Mariae genuflectat, et Sacerdos apostolica facultate pollens, stola alba indutus, capite detecto, dicat:

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit coelum et terram.

℣. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.

℟. Et salutare tuum da nobis.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Clementissime Deus, qui ad peccatorum salutem et miserorum perfugium Cor Filii tui Iesu Christi caritate et misericordia plenum et Cor Beatae Mariae Virginis eidem simillimum esse voluisti, hoc scapulare in honorem et memoriam eorundem Sacrorum Cordium gestandum bene✠dicere digneris, ut hic famulus indutus meritis et intercessione ipsius Deiparae Virginis secundum Cor Iesu inveniri mereatur. Per eumdem Christum Dominum Nostrum. Amen.

Postea Sacerdos Scapulare aspergit aqua benedicta illudque imponit, dicens:

Accipe, Frater, Scapulare Sacrorum Cordium Iesu et Mariae, ut sub eius protectione et custodia, utriusque Sacratissimi Cordis virtutes recolendo et imitando, resurrectionis gloriae di-

gnus efficiaris. Per eumdem Christum Dominum Nostrum (1).

Amen.

Deinde una vice cum adscripto dicat sive latino sive vernaculo idiomate sequentes preces iaculatorias:

Cor Iesu Sacratissimum, miserere nobis.

Cor Mariae immaculatum, ora pro nobis.

DECRETUM.

Quum postremo hoc tempore per acta Sacrorum Rituum Congregationis, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII ad cultum ac pietatem erga Divinum Cor Iesu atque Purissimum Cor Deiparae Virginis Christifidelium animos magis magisque excitare atque inflammare studuerit, R.mus D.nus Ioannes Ludovicus Robert, Massiliensis Episcopus tempus opportunum atque utile advenisse censuit ad ipsum Beatissimum Patrem accedendi enixeque rogandi, tum suo tum Antistitae ac filiorum Cordis Iesu nomine, ut scapulare eiusdem Sacri Cordis Iesu in agonia facti necnon Amantissimi Cordis Mariae perdolentis speciali ritu et formula benedicendum atque imponendum adprobare dignaretur. Hoc autem scapulare ex privata fidelium devotione iamdiu adhibitum, constat ex duabus de more partibus laneis albi coloris per chordulam seu vittam coniunctis, quarum una praefert em-

(1) Si scapulare mulieri imponatur, dicatur: *haec famula*, etc. *Accipe Soror* etc. Si vero pluribus, tum omnia plurali numero dicantur.

blemata duorum cordium, Iesu nempe iis insignibus ornati, quibus repraesentari solet, et Immaculatae Matris Mariae gladio perforati, subiectis utrique instrumentis Dominicae Passionis; altera vero pars exibet sanctam crucem ex panno rubri coloris. Sanctitas porro Sua, exquisita Sacrorum Rituum Congregationis sententia, supradescriptum scapulare una cum proprio ritu ac formula benedictionis et impositionis adhibendis ab iis tantum Sacerdotibus quibus ab Apostolica Sede facultas facta fuerit, adprobare dignata est. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 4 Aprilis 1900.

Cai. Card. Aloisi-Masella *Pro-Datarius.*

L. ✠ S. *S. R. C. Pro-Praefectus.*

D. Panici *S. R. C. Secr.*

V.

ORDINIS

MINORUM S. FRANCISCI.

Rev. Fr. Marianus Mendez Sacerdos Ordinis Minorum S. Francisci qui Kalendarium seu Directorium pro Divino Officio persolvendo in Provincia S. Gregorii Magni in Hispania munus conficiendi habet, ad pedes S. V. humiliter provolutus quae sequuntur dubia solvenda reverenter exponit:

Pius Papa IX fel. rec., decreto *Ab expositis,*

die 29 Aprilis 1858 edito, omnibus Religiosis Minoriticae familiae praecepit omnino conformari Kalendario generali perpetuo typis mandato anno 1857, omissis aliis Dioecesis Officiis, praeter illa patroni principalis loci, Titularis ac Dedicationis Ecclesiae Cathedralis celebranda ritu a rubricis decretisque pro Regularibus praescripto, nec non alia particularia officia a S. Sede praeceptive concessa ecclesiasticis utriusque Cleri. Item, iuxta auctores de liturgia tractantes et Decretum S. R. Congregationis die 28 Aprilis 1866, *Patavina*, 4, Regulares recitare tenentur de omnibus dioecesanis festis, quae annexam habent obligationem audiendi Sacrum et abstinendi ab operibus servilibus.

Porro Fratres Minores Provinciae S. Gregorii Magni in Hispania iamdudum officium recitant Patroni principalis loci, cuius dies non est festivus pro populo, ritu duplici primae classis absque octava; verum, ex sententia eorundem scriptorum et ex decretis S. R. Congregationis, uti in Calagurritana n. 1095 die 28 Septembris, officium Patroni Dioecesis recitari non licet illis in locis Patronum canonice electum habentibus; quaeritur:

I. An praedicti Fratres Minores teneantur officium recitare Patroni Dioeceseos, cuius dies est de praecepto festivus in tota Dioecesi, ritu pro Regularibus praescripto duplici primae classis sine octava; vel id praetermittere debeant eo quod non sit expressum in citato decreto *Ab*

expositis, et quia sicut dictum est, iam recitant officium Patroni principalis loci?

Insuper Religiosi suprascriptae Provinciae consuetudinem habent, ab immemorabili tempore, non recitandi officium Titularis Ecclesiae Cathedralis: quaeritur:

II. An eiusmodi consuetudinem continuare valeant: vel potius debeant Officium Titularis Ecclesiae Cathedralis recitare, ritu pro Regularibus praescripto, nempe duplici primae classis sine octava?

Item: Rubricae Missalis et auctores de liturgia pertractantes pro hora in qua Missa conventualis celebrari debeat praefinienda, non aperte exprimunt, an praedicta Missa sequi debeat immediate post Horam canonicam assignatam ab ipsis rubricis, vel si separari liceat enuntiatam Missam ab Hora canonica, ita ut inter Missam et Horam breve vel longum aliquod temporis spatium intercedere possit; hinc quaeritur:

III. Utrum Missa conventualis debeat celebrari immediate post canonicam Horam a rubrica et decretis designatam; vel eas separare liceat, ita ut inter illas breve vel longum aliquod temporis spatium intercedere possit? Et quatenus affirmative ad primam partem, quaeritur:

IV. Utrum idem sit tenendum de Missa solemni vel cantata quae officio diei non est conformis, cum in rubricis et decretis praescribi-

tur ut post aliquam Horam canonicam celebretur?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, reque accurate perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. *Affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam.

Ad II. *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam.

Ad III. *Affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam.

Ad IV. *Negative* et celebretur post Nonam.

Atque ita rescripsit, die 9 Aprilis 1900.

Cai. Card. Aloisi-Masella *Pro-Datarius.*

L. ✠ S. S. R. C. *Pro-Praef.*

D. Panici S. R. C. *Secr.*

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

V.

DE MISSA EXEQUIALI ATQUE ORATIONE FUNEBRI.

Augustino Parocho Missam exequialem peragente, plura quoque observanda habuit Iosephus Presbyter, dictae Missae ex devotione praesens, quippe quae haud rite facta sibi visa sunt. Notavit itaque imprimis, exequialem Missam non potuisse fieri, quia praesens non erat cadaver, imo forte sepultum, dum interim duplex I classis officium illa in Ecclesia recolebatur, licet non praeceptivum. Praeterea animadvertit, munus Subdiaconi per quemdam Regularem virum, sed laicum, fuisse exercitum ; qui et calicem, ut abstergeret post consumptis speciebus, contrectavit, ac si esset in sacro Ordine constitutus. Insuper eumdem conspexit, ante elevationem thus immittentem in thuribulum, quod illi minime competebat. Denique satis miratur ac fere scandalum passus est, quia non solum Celebrans ipse sacris adhuc paramentis indutus concionatus fuit post Missam in defuncti laudem ; sed etiam, et multo magis, quia permisit, ut peracta absolutione ad tumulum, et clero in sacrarium reverso, plures viri laici defunctum laudibus concionando exornarent uti philanthropum. Etenim, ait Iosephus, nec laicis in Ecclesia concionari licet,

nec, multoque minus, ea dicere quae Moralis Fideique principiis sunt absona, uti factum est. *Quaeritur:*

1. *Quibus diebus Missa cantata de requie sit pro die obitus permissa? Quotuplici sensu cadaver dici queat praesens in Ecclesia? Et quaenam vigentium dispositionum ratio, discrepantium ab antiquis?*

2. *Num elogia funebria pro defuncto permittantur in exequiis? A quibus, quando, quibus vestibus et ubi ea fieri ex lege possint?*

3. *Quid de reliquis, ut in casu, et maxime de viro Regulari laico munus Subdiaconi obeunte, ut de Ioseph censuris iudicari possit?*

SOLUTIO

Ex dissertatione Rev. Dom. Antonii Rodriguez Gonzalez, Cappellani Regiae Eccl. S. Iacobi et S. Mariae de Monteserrato Urbis, habita in S. Aede Presbyterorum Missionis prope Curiam Innocentianam, die 7 Febr. 1900; acta Epitome per R.dum Dom. Felicem Ravanat.

I. Quibus diebus Missa cantata de requie sit pro die obitus permissa? Quotuplici sensu cadaver dici queat praesens in Ecclesia? Et quaenam vigentium dispositionum ratio, discrepantium ab antiquis?

Antequam triplici quaestionis petitioni faciamus satis, operis pretium est, antiquas cum novis dispositionibus, circa Missas de requie, conferre, ut earum differentia magis magisque innotescat.

Catholica Ecclesia, in defunctorum utilitatem, maximo semper processit ordine, quod Missas respicit de requie, ad diversa attendens adiuncta temporis, loci, personarum et solemnitatum; nihil magis

cupiens, quam ut pro iis Missa celebretur antequam sepulturae tradantur. Hoc dilucide ostendunt, inter plurima, sequentia monumenta. Antiquus Constitutionum Apostolicarum auctor *(Lib. VIII)*, S. Dionysius Areopagita *(De Ecclesiastica Hierarchia)* et Tertullianus (*De corona militis* et *De Anima cap. 51*). S. Cyprianus innuit hanc apostolicam praxim in epistola 66 ad clerum et plebem Furnis consistentem, in qua ait : « Quod Episcopi antecessores nostri religiose considerantes et salubriter procedentes censuerunt, ne quis frater excedens, ad tutelam vel curam Clericum nominaret, ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur ;.... et Victor, cum Gemineum Faustinum Presbyterum ausus est tutorem constituere, non est quod pro dormitione eius apud vos oblatio fiat ».

Quod haec Missa celebrari solitum fuerit praesente corpore, antequam videlicet sepeliretur, S. Augustinus id testatur in Lib. 9 *Confessionum*, cap. 12; ubi, loquens de funere S. Monicae matris suae, inquit : « Cum offerretur pro ea sacrificium pretii nostri, iam iuxta sepulcrum posito cadavere, priusquam deponeretur, sicut illic fieri solet, nec in eis precibus flevi ». Possidius mortem et sepulturam enarrans divi Augustini *(cap. 31)* ait : « Nobis coram pro eius commendanda corporis depositione Sacrificium Deo oblatum est ». S. Paulinus in vita S. Ambrosii idem affirmat. S. Gregorius Turonens., in Vitis Patrum, dicit de S. Lupicino : « Celebratis Missis, cum summo honore gaudioque sepultus est ». Concilium Valentiae Hispaniarum celebratum anno 524 decrevit, Episcopum non esse sepeliendum, quin prius Missa celebraretur. In Oriente maiori hic ritus gaudet antiquitate ; id testatur Eusebius qui asserit *(Lib. IV de Vita Imp. Constantini, cap. 71)* « cum Liturgia sepultum fuisse in templo Apostolorum ». Similiter et alii scriptores, uti Baronius, Surius etc. Ita et antiqui

codices liturgici de hac praxi loquuntur tanquam a primis christiani aevi temporibus existente; id quoque confirmat nostrum *Rituale Romanum* (tit. *De Exequiis*), quando ait : « Quod antiquissimi est instituti, illud, quantum fieri potest, retineatur, ut Missa praesente corpore defuncti pro eo celebretur, antequam sepulturae tradatur.

Unde erui datur, prioribus Ecclesiae saeculis, attentis rerum adiunctis, nempe temporis persecutionum et loci celebrationis, qualis erant obscurae catacumbae, nullo die, quantumvis solemni, prohibitam fuisse Missam de requie saltem praesente cadavere. Neque id repugnare dicendum est sensui profundi gaudii, quod veterum Christianorum Liturgia redolebat ; quia satis est considerare, ut ex relatis documentis eruitur, pro iis mortem nihil aliud extitisse, quam dormitionem, obitum, nempe transitum ad vitam aeternam, quae profecto haud impediebant contemplationem magnorum mysteriorum. Ad maiorem confirmationem huius assertionis haec addere praestat : Codex Cassinensis et Cluniacensis, quamvis posterioris epochae, praecipiunt : « Omni tempore sepeliendus Frater post Maiorem Missam. Si in Resurrectionis Dominicae, vel ipsius die crepusculo obierit, quo scilicet oporteat eum ipso die sepeliri, matutinalis Missa pro eo cantetur. Nam tanta est auctoritas praesentiae ipsius defuncti, ut etiam in tanta solemnitate huiusmodi Missa non possit sine negligentia intermitti ». Aucto postmodum fidelium numero, et pace in Ecclesia confirmata, consultius visum est novam statuere disciplinam, et cultum sublimium mysteriorum non immiscere cum luctu mortuorum. Hinc iam saeculo V limites quidam statuti circa Missam solemnem pro die obitus, usque dum saeculo XII, in aliquibus tantum religiosis Congregationibus servabatur mos canendi Missam de die obitus in quacumque solemnitate, saltem corpore praesente.

Missae privatae de requie frequentiores fuere ; sed a saeculo supra citato, tantum permissae sunt diebus non impeditis a festis principalioribus, quamvis cadavere praesente. Plures postea emanatae fuerunt dispositiones hac de re, pro variis rerum adiunctis, usque ad Decretum S. R. Cong.nis diei 13 Februarii 1892. (n. **3767**, ad XXVI). Antequam hoc postremum prodiret Decretum, tres poterant occurrere casus : 1. quod cadaver non esset physice praesens, quia sepultum ob aliquam causam ; 2. quod praesens non fuisset ob civile vetitum, sed tamen adhuc insepultum ; 3. quod fuerit physice praesens in Ecclesia, infra Missam exequialem. In primo casu, sepulto cadavere, die praecedente exequias in Ecclesia, at non anterius, Missa cantata permittebatur pro die obitus, diebus tantummodo non impeditis a Dominicis et Festis de praecepto, triduo ultimo maioris hebdomadae, duplicibus 1. et 2. cl., octavis Epiphaniae et SS. Corporis Christi, et perdurante expositione SS.mi Sacramenti in forma XL horarum. Si dies sepulturam sequens liber non fuisset ab istiusmodi impedimentis, non poterat ullo gaudere privilegio (*S. R. C., 17 Dec. 1779, etc.*). In secundo casu, Missa cum cantu permittebatur pro die obitus, cunctis diebus non impeditis a Dominica aut dupl. 1. cl. (*S. R. C. 2 Sept. 1741, etc.*). In tertio casu, tunc, sicuti et nunc, Missa cantata pro die obitus permittebatur iis omnibus diebus non impeditis a causis in Rituali Rom. et S. R. Cong.nis Decretis indicatis. Rituale adducit, ut causam impedientem, diei solemnitatem, Missam conventualem aut aliam necessitatem : « Si quis die festo sit sepeliendus, Missa propria pro defunctis praesente corpore celebrari poterit, dum tamen Conventualis Missa, et Officia divina non impediantur, magnaque diei celebritas non obstet (*De exequiis*) ». Missa vero, si hora fuerit congruens, ritu pro defunctis, ut in die obitus praesente corpore non omittatur, nisi obstet

magna diei solemnitas, aut aliqua necessitas aliter suadeat (*Exequiar. ordo*) ». Ideo, iuxta Rituale et S. Congr. Rituum eiusdem interpretem, permittebatur et adhuc permittitur Missa cantata de requie pro die obitus praesente corpore : 1. In duplicibus maioribus et minoribus et a fortiori diebus ritus inferioris non privilegiatis. 2. In duplicibus 2. classis, Dominicis et festis de praecepto, nempe cum obligatione audiendi Missam ; diebus infra octavas privilegiatas Nativitatis, Epiphaniae, Resurrectionis, Pentecostes et Corporis Christi; feriis privilegiatis, quales sunt feria II, III et IV maioris hebdomadae, et vigiliis privilegiatis Nativitatis, Epiphaniae et Pentecostes. 3. In duplicibus 1ae classis, non festivis de praecepto, in iis locis ubi solemnitas cum magno apparatu celebraretur, praeter quam si fuisset Titularis Ecclesiae, vel festum de praecepto ubi recolebatur; sed non in aliis Ecclesiis. Id constat ex responsis ad sequentes quaestiones: « 1. An dici possit Missa de Requiem praesente corpore, diebus primae classis cum multo apparatu et pompa exteriori celebratis, licet non festivis de praecepto, et quatenus festivi sint de praecepto: An praedicta Missa dici possit in aliis Ecclesiis, quae talem non habent solemnitatem exteriorem ? » Responsum fuit : « Affirmative ad primam partem, dummodo non sit Titularis ; et ad 2am partem : Affirm. » 2. « An praedicta Missa solemnis cantari possit, praesente cadavere diebus 2ae classis, celebratis tamen simili solemnitate et apparatu, quo festa primae classis celebrantur, ut evenit in Ecclesia Compostellana diebus apparitionis S. Iacobi, 23 Maii, translationis eius corporis, 30 Decembris, et aliis festivitatibus B. M. V. quamvis sint, necne de praecepto ? » Resp.: Affirmative (*S. R. C. 8 Apr. 1808 in Compostellana, ad 1 et 2, n, 4507*). 4. In duplicibus 1ae classis, quae sunt talia pro occurrentiis, sed semiduplicia in solemnitate, quae sunt : primae Dominicae Adventus et Quadragesimae; Dominicae Passionis, Palma-

rum et in Albis. Ita ad quaesitum: « An Dominica Palmarum cum sit primae classis, possit celebrari Missa defunctorum, praesente cadavere? S. C. respondit: Affirmative », die 23 Sept. 1837 in *Sutrina*, ad 2 (4822). 5. In diebus 1ae classis, exceptis iis qui celebrantur magna cum solemnitate in Ecclesia universali, prout desumitur ex responso ad quaesitum: « Utrum in Maiori Hebdomada, excepto triduo ante Pascha et biduo post, et infra octavam Paschae et Pentecostes, ac etiam in duplicibus festis primae classis, non tamen celebribus, possit cantari Missa unica solemnis de Requiem in sepultura cadaveris? » Respondit S. Rit. Cong.: « *Affirmative* » (*22 Ian. 1752*, in una *Ord. Carm. ad 13* n. 4223). Dies 1ae classis solemniores, in quibus non poterat (nec potest) cantari Missa de requie pro die obitus praesente corpore, sunt: dies Nativitatis et Epiphaniae, et ultimum triduum mai. hebd.; festa Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes et SS.mi Corporis Christi; etc. festa Conceptionis, Annuntiationis et Assumptionis B. M. V.; festa S. Ioseph, Ss. Apostolorum Petri et Pauli et Omnium SS.; solemniora festa ex indulto translata, modo celebrentur in populo, et festum Natalis S. Ioannis Baptistae, ubi sit festivum de praecepto, aut Titulare, sed non ubi non sit tale; festum Patroni principali loci, Dedicationis et Titularis propriae Ecclesiae (*S. R. C. 22 Ian. 1752, 12 Sept. 1778, n. 4391*), solemnis expositio Sanctissimi pro publica causa (non pro privata), vel pro oratione XL horarum, qua durante nullo in altari Ecclesiae poterat cantari, excepto casu quo SS. Sacramentum expositum fuerit in cappella subterranea, vel tantum in Pyxide, aut pro privata causa, seu in Commemoratione omnium defunctorum, occurrente in oratione XL horarum, qua perdurante, poterat cantari aut legi Missa, sed in altari distincto ab illo expositionis. Ita ut ad dubium: « An in Ecclesiis in quibus expositum manet SS. Sacramentum fidelium adorationi in turno perpetuo ado-

rationis, quae dicitur quadraginta horarum, occurrente die commemorationis omnium fidelium defunctorum, liceat recitare officium defunctorum et celebrare Missam solemnem et etiam Missas privatas itidem defunctorum? Resp. « Affirmative ». An adhiberi debeant paramenta coloris violacei potius quam coloris nigri ? Resp. « Arbitrio superioris ». An in eodem casu excipiendum sit altare in quo habetur expositum SS. Sacramentum ? Resp.: « Affirm. *(S. C. Rit. 16 Sept. 1801 n. 4477)* ».

Praeterea in Parochiis, in quibus alius Sacerdos non haberetur, quam Parochus, ad celebrandum pro populo obligatus, non poterat, nec modo potest, cani Missa de requie in Dominicis et festis, quamvis suppressis, in feria IV Cinerum et Vigilia Pentecostes, si fieri deberet respectiva benedictio; diebus S. Marci et Rogationum ubi habenda esset processio, nec non diebus 1. classis, in casu quo deficeret clerus in choro.

Festa Titularis Ecclesiae, quamvis non de praecepto, et a fortiori festa S. Ioseph et S. Ioannis Bapt. impediebant, prout et nunc, Missam exequialem, quamvis haec postrema celebrarentur absque feriatione, quia ius ad illam habent. Insuper in illis locis, in quibus festa transferebantur ad sequentem Dominicam, dies uterque impedimento erat. Ita S. R. Cong., die 23 Maii 1835 in *Namurcen.*, ad dub. 14, n. 6 (4746). « An liceat cantare Missam de Requiem praesente corpore in Dominicis, in quas transfertur solemnitas supressorum festorum primae classis ? An illud licet in ipso die festivitatis ? » respondit: Servetur rubrica sicuti ante reductionem festorum, et extendatur etiam ad Dominicam ». At nunc, expuncto hoc Decreto, impeditur tantum die festi translati.

Quando autem licebat, Missam cantari de requie pro die obitus, semper id erat sub conditione, 1. quod talis Missa unica fuerit, (nisi in semid. vel infer.) et prima in loco quo deberet celebrari, secus non fuisset

exequialis, hoc requirente iure liturgico. Nunc tamen excipiuntur Missae privatae de requie, quae celebrari valent in aula Episcopali quando exponitur Episcopi cadaver, etiamsi exequiae alia die locum habeant *(S. R. C. 3 April. 1894*, et illae, pariter privatae, quae iuxta Decretum **Aucto**, diei 8 Iun. 1896 permittuntur die solemnium exequiarum, 2. Missa exequialis cum cantu erat (prout et est) celebranda, excepto casu verae paupertatis defuncti vel haeredum, ex qua solvere pro cantata Missa non valerent expensas ; quia tunc, ubi consuetudo introducta fuerat, poterat legi loco cantatae, exceptis diebus 1. et 2. classis et infra octavas privilegiatas, nec non Dominicis et duplicibus festa praefata excludentibus. Ast hodie, ex novo iure universali, hae Missae de requie pro die obitus pauperum, legi possunt iisdem diebus pro cantata permissis *(S. R. C. 9 Maii 1899 n.* **4024**). 3. Cadaver requirebatur praesens in Ecclesia, Missa exequiali durante.

Missa exequiali utcumque impedita, alia quae, cessato impedimento, celebrabatur, et etiam illa quae celebrari soleret post acceptam mortis notitiam, poterat et potest cantari prima die non impedita a Dominica, festo de praecepto, duplici 1. vel 2. cl., octava vel infra octavam, Vigiliam et feriam, privilegiatam. Haec Missa, et illa de die III, VII, XXX et anniversaria ab obitu seu depositione, quae transferebantur cum conditione quod esset unica et cantata, poterat celebrari in duplicibus maioribus et minoribus et in Vigilia Epiphaniae *(S. R. C. 7 Sept. 1816, 4 Maii 1669, et 8 Mart. 1738).*

At post supra citatum Decretum diei 13 Febr. 1892, privilegium Missam canendi pro die obitus, diebus relatis, extenditur ad alterutrum (non utrumque) ex duobus sequentibus sepulturam cadaveris, semper tamen ex iuxta causa. Id eruitur ex verbis Decreti : « Cadaver absens ob civile vetitum vel

morbum contagiosum, non solum insepultum sed et humatum, dummodo non ultra biduum ab obitu, censeri potest ac si foret physice praesens, ita ut Missa exequialis in casu cantari licite valeat, quoties praesente cadavere permittitur ». Hoc Decretum cum altero comparatum, quod incipit : **Aucto,** emanato die 8 Iun. 1896, quod permittit Missas privatas de requie praesente, insepulto aut etiam sepulto, sed non ultra biduum cadavere, exceptis duplicibus 1. classis, et de praecepto, ac duplicibus 1. classis excludentibus, determinat plene disciplinam vigentem respectu ad Missam cantatam de requie pro die obitus. Etenim si per dictam exceptionem permittuntur Missae lectae de requie, a fortiori absque limitatione diebus 1.ae classis permittuntur cantatae.

Itaque reassumentes hucusque dicta, ad primam quaesitus partem respondemus : Permittitur una Missa cantata de requie pro die obitus, praesente corpore, insepulto, aut etiam sepulto, sed non ultra biduum, ob gravem causam, singulis supra relatis diebus, in quibus permittebatur cadavere praesente ; recentiora enim decreta nullam coarctationem imposuerunt, sed ampliare priorem disciplinam satagerunt. Ob hanc eamdem causam, Missae impeditae a maioribus solemnitatibus transferri valent ad primam diem liberam ut prius, si infra biduum praedictum celebrari nequiverint.

Quoad alteram partem quaestionis, nempe: Quotuplici sensu cadaver dici queat praesens in Ecclesia ? respondemus, praesens considerari posse vel physice vel moraliter. Primum habetur, ut patet, quando cadaver realiter in Ecclesia invenitur tempore Missae exequialis ; alterum quando ius habet ad praesentiam, sed, vi, ut dicitur, maiori, impeditur quominus locum habeat. Haec maior vis esse potest praecipue civile vetitum, vel morbum contagiosum. Iuxta relatum Decretum, quando cadaver est moraliter praesens, Missa

gaudet iisdem privilegiis, dummodo, si cadaver iam sepultum fuerit, celebretur infra biduum sequens. Unde moralis praesentia pro physica adamussim sufficitur. Ita v. gr. cadavere sepulto ob iustam causam Sabbato Sancto, Missa exequialis permittitur feria II post Dominicam Resurrectionis, eodem modo ac fieret cadavere praesente.

Ad tertiam partem : Quaenam vigentium dispositionum ratio, discrepantium ab antiquis ? haec reponimus ; ratio liturgica in casu est bonum animarum defunctorum, et satisfactio pietatis viventium. Multiplex enim causa impedimenta auxerat, et cadaveris praesentia saepius desiderabatur ; sive ex civilium legum rigore, sive ex hygienis tuendae motivo, sive ex festorum ritus classici augmento, sive ex alia quacumque alicuius ponderis causa. Unde, cum suffragia nimium retardari contigerit, hoc in detrimentum veniebat animarum, et in moerorem petentium suffragia; eo vel magis quod nunc fideles privatis suffragiis minus se confidere ostendunt, quam exteriori apparatui. Hinc eiusmodi incommodis obviam ivit Ecclesia, disciplinam immutando, et privilegia pro Missis de requie ampliando. Atque ita, tum media multiplicavit Deum exorandi pro Animabus in Purgatorio detentis, tum in fidelium animis maiorem charitatis sensum in eosdem excitavit.

II. Num elogia funebria pro defuncto permittantur in exequiis ? A quibus, quando, quibus vestibus et ubi ea fieri ex lege possint ?

Quoad primam partem, respondemus : Affirmative. Usus funebrium elogiorum est vetustissimus. Antiqui Aegyptii Sacerdotes huiusmodi elogia habebant coram cadaveribus. Postea hic mos ad Graecos transiit ; ita fecit Pericles in laudem mortuorum in pugna ad Thermopylas. Romani quoque eumdem servarunt, ut scimus de Publio Valerio, qui laudes dixit ante cadaver I. Bruti, in bello contra Etruscos defuncti.

Tandem haec praxis ad Italiam totam pertransiit, et universalis facta est. Primaevi Christiani in suos quoque ritus invexerant funebres orationes, sed ex modestia non tam saepe persolvebant, uti mos erat inter gentiles. Funebres orationes aut mentaliter aut ex scripto recitari consuevere, pro diversitate locorum et personarum, ac pro diversis temporum adiunctis ; praecipue enim locum habebant in exequiis summorum Pontificum, Cardinalium, Episcoporum, Regum, Principum, aliorumque virorum eminentium vel gradu, vel doctrina, sive sanctitate, aut praeclare gestis. Saepe habebantur in Anniversariis et aliis privilegiatis diebus, sicut et in cinerum translatione. Eusebius orationem funebrem habuit pro Imperatore Constantino, S. Gregorius Nazianzenus dixit in funebribus Basilii, Athanasii et Caesarii, S. Ambrosius funebres laudes texuit Imperatorum Valentiniani et Theodosii, nec non fratris sui Satyri. S. Hieronymus orationes funebres scripsit in obitu Paulae, Fabiolae, Blesillae, Nepotiani, etc. Theodoretus *(Lib. II de hist. eccles., cap. 14)* et Nicephorus *(Lib. 12 Hist., cap. 11)* loquuntur de oratione funebri in exequiis S. Melini.

Huiusmodi orationes ut plurimum recitabantur post Missam exequialem, et ante absolutionem. Obiectum erat, virtutes defuncti laudare, pro eoque suffragia exposcere ; humanam fragilitatem et rerum temporalium caducitatem ostendere, animosque audientium ad virtutes excitare. Ita refert Wolfgangus, loquens de funeralibus S. Uldarici Episcopi: «Publica Missa expleta, omnes in communi, sobrio et cauto sermone admonuit, ut pro illa sancta anima devote exorent ».

In funere S. Bonaventurae Missam celebravit, et orationem recitavit in eius laudem Petrus Cardinalis Episcopus Ostiensis *(Surius,* in vita S. Bonav. *14 Iul.*). Anno 1352, concio funebris habita est pro Papa Clemente VI die ultimo exequiarum, ab Episcopo,

roccheto, amictu et pluviali nigro induto. Cum autem serius in desuetudinem abiisset usus orationis eiusmodi, Benedictus XIV eundem restituit. Olim frequentius habebantur; sed nunc tantum pro illustrioribus personis. Saeculo XV adhuc mos erat orationem funebrem recitare pro Cardinalibus. Hoc in casu, Cardinalis celebrans, postquam exuisse casulam, induebatur pluviali nigri coloris et sedebat, mitra alba coopertus, dum orator dicebat orationem. Petrus Amelius ait, in novendialibus funebribus Summi Pontificis, Cardinalem Missam celebrantem solitum fuisse dicere orationem, nisi Praelatum, aut Magistrum in S. Theologia deputasset, et postremo die locum habuisse duos sermones, unum in laudem defuncti, alterum pro novo Pontifice eligendo. Hic ritus servatus fuit etiam in exequiis Eugenii IV, anno 1447.

Ex his quae diximus, ex Missali Romano, Caeremoniali Episcoporum, S. R. Cong.ne et auctoribus liturgicis, nec non ex aliis documentis, desumitur, Ecclesiam nunquam usum orationes recitandi in funeribus reprobasse, et interdum quasdam statuisse normas pro variis temporis, loci et personarum adiunctis.

Horum confirmatio, ac responsio ad alteram quaesitus partem, nempe a quibus, quando, quibus vestibus et ubi ea ex lege fieri possint? deducitur plane ex relatis documentis. Rubrica Missalis (*Tit. 13, n. 3*), ait : « Si habendus est sermo, habeatur finita Missa ante absolutionem. Caeremoniale Episcoporum (*Lib. II, cap. 11, n. 10*) dicit : « Si sermo habendus est in laudem defuncti pro quo Missa celebrata est, tunc ea finita, ante absolutionem accedat sermocinaturus, vestibus nigris indutus, sine cotta, et facta oratione ante medium altaris, nulla petita benedictione ab Episcopo, sed facta ei profunda reverentia, vel genuflexione pro qualitate personae, ascendet pulpitum panno nigro coopertum, ubi facta iterum reverentia Episcopo, signans se signo crucis, faciet sermonem ». Item idem

Caeremoniale, alio in loco (*cap. 12, eiusd. libri, n. 6*). S. R. C. in una *Limburgen*, die 14 Iun. 1845, **2888** - 5010 ad dubium 1 « An praenotatis verbis Caeremonialis *vestibus nigris* etiam Stola comprehendatur, ita ut sermocinaturus in laudem defuncti (extra Urbem) Stola super veste talari, vel alia dignitati suae competenti, indui debeat ? » respondit : « Negative ». 2. An laudata dispositio Caeremonialis in Ecclesiis Cathedralibus tantum ; vel etiam in aliis omnibus, Episcopo absente, servari debeat ? » resp. « In omnibus Ecclesiis servandam ».

S. Carolus in Conc. Provinciali IV Mediolanensi (*part. I Constitut.*) loquens de oratione, dicit : « Sermonem de mortui laudatione, nullo modo in Missa, sed ea peracta pronunciari debere, si tamen Episcopus sermonem habere permiserit ». Petrus Amelius (Ordine Romano XV, tractans de funeribus Cardinalium ait : « Sermonem facit aliquis Magister in Theologia, qui debet fieri post Missam et ante absolutionem ». Augustinus Patricius (*Lib. 1, Sect. XV cap. 1* sui Caeremonialis) inquit : « Finita Missa, post *requiescant in pace*, fit sermo in laudem defuncti ». Crassus (*Lib. II, cap. 40*) dicit : « Si sermo in laudem defuncti habendus est, tunc finita de toto Missa, et nullatenus intra eam, habetur. Sermocinaturus vestibus nigris indutus, non tamen veste lugubre nisi esset ipse consanguineus aut familiaris defuncti, vadit ad medium altaris, ubi genuflexus orat absque benedictionis petitione a cclebrante seu a Cardinali, vel ab aliquo, ascendit, facta prius reverentia Cardinali (sive Episcopo), in pulpitum, et facit sermonem, pro quo nec divinam gratiam invocat, neque praefatur Angelicam salutationem, sicut in aliis sermonibus, qui in laudem Dei fieri solent. Finito sermone, simpliciter recedere poterit, in locum quo placet ». Ita alii Rubricistae, uti Bauldry etc. Quoad obiectum orationum funebrium, in 1. Synodo provinciali, de exequis, S.

Carolus ait : « Nemini quemquam in funere laudare liceat, nisi et eum, quem laudare velit, Episcopus dignum censuerit, et laudationem scriptam antea probavit. Licet tamen in funere habere Concionem quae tota referatur ad humanam miseriam fidelium oculis proponendam, omnesque ad vigilandum cohortandos, ne cum venerit Dominus . . . inveniat eos dormientes ». Synodus Cameracensis, anno 1604 *(tit. 13, cap. 2)*, « mandat, ut brevem semper habeant exhortationem Parochi in sepultura et exequiis defunctorum, antequam populum a loco sepulturae dimittant, in eaque ad orandum pro defunctis omnes hortentur..., omnem ostentationem fugiant concionatores, et nonnisi ob veras et compertas virtutes defunctos laudent ». Synodus Namurcensis an. 1639 *(tit. 16, cap. V)* habet : « Eas sobrie habeant potius consideratione mortis, et iudicii ad peccatorum fugam excitando quam immodice laudes defuncti propalando ». S. Carolus in IV Concil. Provinc. Mediolanensi : « Non enim in cuiuscumque hominis mortui laudem habendus est sermo, sed in laudem alicuius magni viri defuncti, qui sit magnus in dignitate, doctrina, sanctitate gestisque insignibus ».

Hinc concludimus : 1.° Oratio funebris, cum sit quid sacrum et in loco sacro habendum, approbari debet ab Episcopo, et dici a Sacerdote speciali facultate ab eodem munito. Aliquando alius ecclesiasticus extraordinarie delegari potest, sed vix et rarissime laico, licere id potest 2.° Oratio funebris non est homilia, ideoque non debet haberi infra Missam, sed in fine, ante absolutionem. Neque locum habere potest, saltem in Ecclesia, extra funus, quia permittitur tantum uti adiunctum ritus illius. 3.° Orationem recitans indutus esse debet habitu talari usuali, gradui hierarchico respondenti, absque superpelliceo et stola, aut alio chorali vel sacro indumento. Ante Altare transiens orationem facere debet, et antequam incipiat, in

suggestu, cruce se signare. Episcopus uti deberet habitu praelatitio coloris nigri ; sed romana consuetudo illum nunquam admittit, et pluribus in Dioecesibus in desuetudinem abiit, unde violaceus adhiberi potest. Biretum in capite gestari quoque valet.

Notandum est Celebrantem non debere a presbyterio recedere, dum fit concio in laudem defuncti, sed deposita planeta, et manipulo, ad scamnum sedere pluviali indutum.

III. Quid de reliquis, ut in casu, et maxime de viro Regulari laico munus Subdiaconi obeunte, ut de Iosephi censuris iudicari possit ?

1. Iuxta superius dicta, cadaver erat aliquomodo, seu moraliter praesens, quia quamvis forte sepultum fuerat, non tamen adhuc biduum decurrerat ; Augustinus ergo rite poterat Missam canere de requie pro die obitus, quamvis duplex 1.ae classis in ea Ecclesia occurrisset (excipe si fuisset Dedicatio vel Titulus eiusdem), quia moralis praesentia cadaveris, nunc reali aequiparatur.

2. Subdiaconus rite ordinatus, seu in sacris, iure valet exercere munus Ministri in Missa ; permittit tamen Ecclesia ut in necessitatis casu alius inferior Minister, vices Subdiaconi teneat, paratus Tunicella, sed absque Manipulo (*S. R. C. 5 Iulii 1698, ad 18, n. 3478*), quinimo et simplex clericus : ita S. eadem Congregatio, in una *Florentina*, ad dubium : « An pariter permitti possit, ut clericus Regularis, interdum nec Tonsura initiatus, Subdiaconi officio fungatur in Missa solemni, dum alter vel Sacerdos vel in maioribus constitutus ordinibus adest, qui ut Subdiaconus inservire potest eidem Missae solemni ? » Respondit: « In casu necessitatis, dummodo non adsit alter ; sed debere esse Clericum (*Die 22 Iul. 1848, n.* **2965**-*5126:* ita et pro alio simili casu die *23 Nov. 1880 n.* **3525**-*5819*) ». Ideo quamvis Regularis non tonsuratus sit professus, quomodocumque perfectiorem statum adep-

tus sit, cum non sit clericus, nullimode consideratur aptus ad licite exercendum tale ministerium. Quando vero clericus munere fungitur Subdiaconi, excepto Manipulo, ei permittuntur omnia, quae ad Subdiaconum pertinent, quia, *cui indulgetur actus, illa videntur indulta sine quibus actus perfici nequit;* et legislator quod voluit excipere, excepit, scilicet solam Manipuli delationem.

Necessitas porro non oportet ut sit extrema, quia Missa etiam cantari posset absque Ministris, unde cum Ecclesia indulget substitutionem minoris clerici, non videtur gravissimam requirere causam; itaque, si alii superiores Ministri aliquomodo occupati sint, aut recusent munus implere, aut opportunius aliud officium exercere cupiant, seu iubeantur, v. gr. cantoris, caeremoniarum magistri, etc. licite substituetur minor.

3. De thure imponendo pro elevatione SS.mi per Subdiaconum, dicimus, iuxta Caeremoniale, officium esse alterius clerici, quia non est caeremonia muneris Subdiaconi propria; unde in alterius defectu ipse thuriferarius imponere debet, deinde Subdiacono thuribulum tradere.

4. Quamvis ab hodierna praxi sit alienum, concionem haberi per celebrantem, antiquitus factum fuisse vidimus, nulla lege contradicente; ideoque, quamvis caeremoniali melius sit adhaerere, tamen damnanda illa praxis non videtur.

Tandem, etiamsi laudes, a laicis viris in Ecclesia pertextae, non fuissent absonae a Moralis Fideique principiis, nullimode permitti poterant ab Augustino Parocho, quia, quatenus opus fuisset licentiam non negare, Episcopi solius illam concedendi proprium erat. Causa enim omnino singularis ad id determinare potest, omni cum cautela discernenda, ad possibiles abusus praecavendos, necessariis conditionibus appositis, opportunaque sanctione. Ita per plures dioece-

sanas Synodos ad rem provisum est ; inter quas albanensis, anno 1886 celebrata, artic. 8, de Funeribus et sepulturis, n. 8, ait : « Laici vetantur laudationes funebres in Ecclesiis vel sacris coemeteriis recitare ».

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Venetiis.* **De modo abrumpendi octavam, tempore Quadragesimae indultam, in Dominicis.** Octavam in Quadragesima indultam esse abrumpendam in Dominicis dicti temporis discuti nequit post Gen. Decretum d. d. 22 Maii 1894 (1). Nihilominus in nostris Calendariis notabilis est varietas super indultae octavae Annuntiationis abruptione; aliqua enim incipiunt abrumpere octavam in Sabbato ad Vesperas ad Nonam usque Dominicae, alii a Matutino, alii omittunt etiam in secundis Vesperis Dominicae. Praeterea alii abrumpunt et doxologiam hymnorum, Praefationem et Versum ad Primam: alii vero, non. Quid tenendum ?

Resp. I. Quomodo octavae indultae in Quadragesima sint abrumpendae alibi (*Ephem. Liturg. 1898, pag. 49, Dub. XIII*) dictum fuit; sed quaestionem saltem innuere iterum praestat. Decretum Gen. edicit, *quascumque octavas indultas in omnibus Dominicis Quadragesimae esse omnino*

(1) Haec est certa dies inscripta Decreti Gen. circa Octavarum abruptionem in Quadragesima, quamvis Ephemerides in propositione Dubii XIII a. 1898 ad pag. 49 citent uti datum die 5 Febr. 1895. Quomodo id evenerit inquirere, inutile foret; sed dies vera 22 Maii 1894 abunde patet, seu ex ipsis Ephemeridibus, Decretum authenticum referentibus (*an. 1895, pag. 66*), seu ex ultimo Decretorum Volumine (*pag. 262*).

intermittendas vel abrumpendas. Ergo octava ita in dictis Dominicis consideranda, ac si non existeret. At Dominica incipit ad primas Vesperas et prosequitur usque ad secundas inclusive: ut ad minus in utrisque Vesperis sit commemoranda. Ergo in utrisque Vesperis, octavae commemoratio omittenda videtur iuxta Gen. Decretum, quodcumque celebretur festum in Sabbato vel in sequenti feria secunda. Verum aliter se rem habere iam diximus et probavimus, seu ex sententia A Carpo, seu ex Decreto in *Einsidlen.* seu etiam ex ratione liturgica (*Loc. sup. cit.*). Ergo com. de infra octavam semper in utrisque Vesperis facienda est, nisi duplex classicum occurrat.

Resp. 2. Nunc autem quid dicendum de conclusione hymnorum, de Praefatione ac de Versu ad Primam, si propria habeantur? *a*) Quod doxologiam pertinet, aut quaestio est de Vesperis in Sabbato et in feria II sequenti, et res nullius est difficultatis. Cum enim commemorationem octavae non omittendam, sed faciendam demonstratum fuerit, palam sequitur non adesse rationem ex qua in hymnis omittenda esset doxologia propria ipsiusmet octavae, namque et ipsa doxologia octavam respicit, quae celebratur adhuc. Aut agitur de eadem doxologia propria in hymnis Dominicae relinquenda, et reponimus affirmative. Etenim in Dominicis Quadragesimae ita, ut innuimus superius, consideranda est octava, ac si non esset, cum abrumpi debeat. Atqui si octava non recoleretur, doxologia ipsius octavae locum habere non posset; ergo nec locum habere potest in dictis Dominicis, in quibus abrupta est octava.

b) Idem praedicandum de Praefatione, et quidem alia graviori de causa praeter expositam. Etenim lex Praefationes moderans eiusmodi est, ut quae magis est propria festi, quod celebratur, semper dicenda sit. Perpendas num. 2 et 4 Tituli XI Rubricarum Missalis, et negotium ultro

patebit. Nam *si infra octavam alicuius festi, quod habet Praefationem propriam, occurrat aliud festum*, dicenda etiam Praefatio de octava, sed in casu tantum, quo festum quod recolitur *non habeat Praefationem propriam*: quam si habeat, ea dicenda est, et non Praefatio de octava. Atqui in casu habetur Praefatio Quadragesimalis aut Passionis, quae propria est temporis, et maxime Dominicarum dicti temporis, de quibus festum agitur. Ergo, praeterquamquod octava non est in casu consideranda, etsi consideranda foret, cum de ea fieri nequeat, et Dominica de qua festum agitur gaudeat Praefatione propria, haec citra dubium, et non alia in Dominica dicenda est.

c) Quod denique spectat Versum ad Primam idem tenendum ex prima ratione circa hymnorum doxologiam superius allata. Namque octava abrupta non celebratur in Dominica; ergo habere non potest locum Versus octavae proprius. Neque opponas, dicendum esse Versum octavae proprium, etsi de ea commemoratio omittenda foret. Hoc enim concedimus, sicut idem quoque concedendum circa Praefationem; sed hic non est quaestio de commemoratione octavae omittenda ratione ritus, illam respuentis: quaestio est de abruptione octavae, quod proinde idem est ac si non esset: ut si Versum proprium habeat, nihil intersit. Sicut ergo non existit octava, nec illius Versus proprius dicendus est, quamvis pro dictis Dominicis non adsit proprius, et Versus de communi dicendus sit.

Nota. Notum facimus adm. Rev. Consulenti, ut et libentius omnibus Ven. Consociatis, Indicem trium Voluminum novissimae Collectionis Decretorum S. C. R. iam esse sub praelo; et quamprimum fieri possit, in lucem prodibit.

II. *E Dioecesi Panormitana*. **De conditione Ecclesiarum ed Oratoriorum publicorum, quae fuerunt et non sunt amplius Regularium**. Quaeritur quaenam sit conditio illarum Ec-

clesiarum et Oratoriorum publicorum, quae pertinuerunt quidem, sed amplius in praesenti non pertinent ad Communitates Regulares.

Resp. 1. Praemittimus, quaesitum satis patere *per se*, seu nimis esse latum, quia conditio dictas Ecclesias et Oratoria spectare potest quoad plura, quae provinciam nostram, seu rem liturgicam non respiciunt. Cum nihilominus adm. Rev. Consulens authenticitatem peculiariter inquirat cuiusdam Decreti S. R. Congregationis, ex eo cum certitudine inferimus restrictionem dubii propositi: adeo ut scire ipse velit, quodnam Calendarium sequi et quaenam officia et sub quo ritu dictae Ecclesiae aut Oratoria recitare nunc debeant. Hoc sensu propositae petitioni respondebimus. 2. Praemittimus, dictas Ecclesias et Oratoria non pertinere amplius ad Regulares *sub quocumque respectu:* hoc est, Regulares relativos, vel sponte vel ex necessitate dictis Ecclesiis et Oratoriis abdicasse, ita ut impraesenti, Ecclesiae et Oratoria ad saeculares Presbyteros, liturgice inquam, toto iure pertineant. Hoc praemittimus, quia si Ecclesiae aut Oratoria aliquo modo ad Regulares adhuc pertinerent, puta quia alter ex Regularibus illis praesideat nomine Communitatis, vel saecularis Presbyter Rector nomine Communitatis ageret etc., quae dicturi pro responsione sumus, vim non haberent. Itaque supponimus in casu, dictas Ecclesias et Oratoria esse saecularis iuris, quamvis toto iure olim Regularis fuerint.

His praemissis, reponimus Ecclesias et Oratoria praefata in eadem conditione impraesenti versari, atque alias quascumque Ecclesias aut Oratoria Dioecesis. Ratio perspicua est, quia attendi non potest quod fuit, sed quod est: fuerunt autem Regulares, nunc tamen saeculares sunt. Regulares autem suis privilegiis fruebantur, ut Calendarium proprium sequerentur, vel si proprium non habuissent, aliqua saltem festa propria celebrarent, puta Institutoris,

Ordinis, etc., sed iure Regularium desinente, eorum Calendarium illis in Ecclesiis et Oratoriis necessario cessare debuit, uti et eorum festa propria, quae rationem *essendi* amplius non habent. Hinc Guyetus: « Contingit aliquando Ecclesiam aliquam, ab uno Ordine ad alium transire, aut etiam de Regulari fieri saecularem; et in eo casu festa Ordinis propria olim celebrari solita a Regularibus, qui prius dictam Ecclesiam incolebant, ab aliis alterius Ordinis aut a Saecularibus, quibus tandem ea cessit, minime deinceps fieri debent (*Lib. I, Cap. XIV, in initio*) ». Et sane, ratio peculiaris Calendarii sequendi erat existentia Regularium in illis Ecclesiis et Oratoriis; atqui eiusmodi ratio prorsus cessavit. Ergo illorum Calendarium teneri amplius non potest; cum aliunde Presbyteri saeculares, quibus illarum Ecclesiarum et Oratoriorum cura commissa est, proprium aliud Calendarium possideant, illudque sequi ex praecepto debeant, et quidem sub poena non satisfaciendi muneri proprio. Consequenter praefatae Ecclesiae et Oratoria in eadem prorsus conditione sunt, atque Dioecesis Ecclesiae reliquae.

Resp. 2. Cl. D'Annibale (*Summula Theol. mor. Lib. III, Tract. 4, De SS. Eucharist. num. 403 in nota*) dicit ex S. Alphonso: « Ceterum in Ecclesiis, unde Regulares (sive iuste sive iniuste) deiecti sunt, Missa non potest amplius celebrari ex Calendario Ordinis, nec a Regularibus quidem (si quis forte quasi Cappellanus aut Custos in eis remanserit), sed dioecesano uti oportet ». Dicta confirmat Decreto S. R. Cong.nis d. d. 20 Dec. 1864; et de hoc adm. Rev. Consulens a nobis inquirit utrum sit authenticum. En quod respondere possumus. *a*) Decretum istud refertur in *Acta S. Sedis* Vol. 1, fol. 238, estque in *Corduben.*, et citatur etiam a cl. De Herdt (*Prax. Liturg. Vol. 2, n. 208, Not. 6*), thesim, quam posuimus, sustinendi causa. *b*) In antiqua Collectione illud reperire non potuimus, cum esse debuisset

in ultima Appendice, quae Decreta continet ab anno 1877 ad 1887; sed neque insertum videre est in novissima Collectione. *c*) Authenticum nihilominus illud haberi optimo iure potest; quia SS. Dominus noster Leo Pp. XIII per novam Collectionem Decretorum, quam approbavit et authenticam declaravit, statuit: « Decreta hucusque evulgata in iis, quae a Decretis in hac Collectione insertis dissonant, veluti abrogata esse censenda (*Urbis et Orbis, 16 Febr. 1898*) ». Atqui Decretum, de quo inquiritur, nulli alii in novissime approbata Collectione inserto contradicit, imo iuri perfecte cohaeret. *d*) Ratio, ob quam insertum in nova Collectione non legitur, esse fortasse potuit, quia res adeo aperta est atque perspicua, ut nemo eam non videat, et discussioni subiacere nequeat. Nullo enim iure Presbyter saecularis Calendarium Regularium quorumcumque sequi potest, secus non satisfacit recitationi.

Inferes: 1. Ecclesiis et Oratoriis publicis e Regularium ad saecularium Presbyterorum proprietatem liturgicam translatis, Calendarium Regularium removendum esse e sacristia, et dioecesanum illi substituendum. 2. Removenda esse pariter e sacristia Missalia Regularium propria, in quibus plures Missae aut Praefationes propriae inveniri possunt, et aliquae etiam in Canone, esto leves, variationes: quae omnia illicita sunt pro Presbyteris saecularibus. 3. Dicto Regularium Calendario et Missali, neque Rector, Parochus, Praesidens Ecclesiae, vel alius quocumque vocetur nomine, cui illius cura commissa est ab Episcopo, neque exteri Sacerdotes uti licite possunt. 4. Nec diffitemur addere, eorum, et maxime Praesulum conscientiam, ex eiusmodi incuria gravari posse.

III. *Ex Hollandia.* **De Missa lecta pro die obitus repetita.** Die aut pro die obitus possunt dici, exceptis excipiendis diebus, Missae lectae de requie, dummodo cantata non omittatur. At si ritus dierum intercedentium inter

obitum et sepulturam sit semiduplex, iis diebus iterari ne potest Missa lecta ut in die obitus, ita ut singulis iisdem diebus dici valeat?

Resp. Quantum videmus, affirmative. *a*) Certe dies obitus moraliter extensus est impraesenti ad dicendas Missas pro defuncto, physice vel moraliter praesente cadavere. Equidem praefatae Missae, una cum cantu, reliquae privatae, in uno tantum ex tribus vel quatuor diebus a morte ad sepulturam decurrentibus permittuntur. Ea tamen limitatio non est posita quia alii praefati dies non habeant rationem diei obitus, aut pro die obitus, sed tantum ne ritus duplex violetur, quo occurrente, Missae de requie sive cum cantu sive lectae sunt prohibitae. Ceterum moralis extensio semper remanet: ut sicut dies obitus, ita sequentes usque ad sepulturam pro die obitus haberi possint. Iam nunc, pone his diebus ritum semiduplicem vel simplicem occurrere, ut lex duplicis violari non debeat, nonne ratio prohibitionis dictarum Missarum cessare videtur? Ergo Missa diei aut pro die obitus et cani et dici poterit, cum finis legis obtineatur. *b*) Titius defunctus est, eiusque obitus notitia pluribus sodalibus s[illegible] Sacerdotibus nota facta est: nonne unusquisque Missam lectam poterit pro defuncto celebrare, et quidem diversis diebus (cum citius vel tardius notitiam recipere possit), dummodo tamen ritus occurrens Missam de requie permittat? En dies diversi eamdem rationem habentes, unaquaeque scilicet diei post acceptum nuntium obitus; in iisque unicuique lectam Missam de requie licebit facere, sicut de die privilegiata. Et quare Caio non licebit eamdem Missam pro die obitus alia die iterare, cum talis dies vere privilegiata sit? At dices: unus Sacerdos in exemplo allato unam tantum diceret Missam; sed in casu nostro bis vel ter eamdem Missam faceret. Sed reponimus, nil hoc interesse; quia non interest quis Missam agat, dummodo dies sit privilegiatus. *c*) Quaestio

ad hoc reducitur, ut Missa, quae prout in quarto formulari licita indubie foret, esse possit ut in formulari secundo: quorum discrimen, de Evangelio et Epistola tacentes, quae ex Rubrica mutari possunt, in sola Oratione consistit, cum unica et diversa esse debeat, seu ut in die obitus, addita tamen *Sequentia*, quae ceterum semper addi valet. Iam nunc non credimus adeo severam esse piam matrem Ecclesiam, ut id prohibere valeat; sive quia aliunde dies obitus est; sive quia nulla ritus lex violatur, seu quia defunctus particularis et alii omnes per *Sequentiam* aeque pariter, nisi maius, solatium habent.

IV. *E Praga Bohemorum.* **De capite Archiepiscopi sequentis crucem cooperto.** Archiepiscopus in accessu ad suam Ecclesiam metropolitanam, adorato SS. Sacramento, procedit ad altare maius et benedicit populo. Cum autem Crux archiepiscopalis ante illum deferatur, quaeritur, utrum cooperto incedere debeat, vel aperto capite.

Resp. Caeremoniale Episcoporum (*Lib. I, Cap. 2, n. 7*) notat, Archiepiscopum non solum curare debere, ut Crux ante se deferatur, sed etiam cum *imagine.... Crucifixi ad se versa*. Dubium propositum, ex eo fortasse excitari potuit, quia quando Clerum praecedit Crux processionalis, eius imago ad Clerum non vertitur. Hinc maior reverentiae ratio erga Crucem archiepiscopalem, ut Archiepiscopus incedere fortasse debeat aperto capite: quod certe non servatur pro Cruce processionali. Quidquid sit, animadvertimus, rationem imaginis Crucifixi ad Archiepiscopum versae in eo constitui, ut discrimen ponatur inter Archiepiscopalem Crucem et processionalem, cum illa, nemine contradicente, iurisdictionem significet, haud vero ista. Hinc, controversia exorta inter Cardinalem Morigiam Episcopum Papiensem et Monachos Carthusianos, an scilicet ille posset, Crucis deferendae Archiepiscoporum more donatus, eam ante se deferre facere, dum ingrediebatur eorum Monachorum pro

quadam laicorum Confraternitate visitanda, Ecclesiam et Monasterium, S. C. Concilii quaestionem diremit respondens: « Affirmative quoad Ecclesiam, et negative in casu de quo agitur quoad Monasterium (*7 Dec. 1707*). » Quia Episcopus in dicto Monasterio nullam debebat exercere iurisdictionem aut pontificalem functionem, ut eidem necessarius esset usus deferendae Crucis, sicut Scarfantonius ait ad Ceccoperium (*Lib. I, Tit. VII*).

Quamvis itaque Crux omni sit veneratione dignissima, ratio ex quo eam ante se deferre facit Archiepiscopus, nonnisi iurisdictionis suae significatio est, finis autem memoria Crucifixi, quem maxime Archiepiscopus studere debet imitari. Hinc nulla inest illi necessitas detectum caput deferendi, sicuti neque id agit Clerus pro sua Cruce, quae illum praecedit. Ceterum si Rubricas consulas, nulla eiusmodi capitis detectionem praescribunt vel innuunt. Si autem et praxim consulas, videre pariter est, neque Archiepiscopum, neque Clerum post Crucem incedentes caput habere detectum. Hinc reponimus proposito Dubio: Affirmative ad primum, ad alterum negative. Cooperto proinde Archiepiscopus incedet capite, sicut quando Crux eum non praecedit, ita quando praecedit.

V. *E Neapoli*. **De colore vestis Concionantis in defuncti laudem.** Caeremoniale Episcoporum (*Lib. II, cap. 11, n. 20*) vestem nigram praescribit pro Concionante in laudem defuncti. Si Concionator sit Praelatus, uti ne poterit Rochetto sub habitu praelatitio coloris violacei? Quid, si haec consuetudo iam invaluerit?

Resp. En verba legis: « Si sermo habendus erit in laudem defuncti..., ante Absolutionem accedet sermocinaturus, vestibus nigris indutus, sine cotta, et facta Oratione ante medium altaris, nulla petita benedictione ab Episcopo, sed facta ei profunda reverentia vel genuflexione pro qualitate personae, ascendet pulpitum panno nigro coo-

pertum, ubi... faciet sermonem ». Ita Caeremoniale Episcoporum.

Addas praefatae legi Caeremonialis aliam legem Decreti, d. d. 14 Iun. 1845 ad l. in *Limburgen*, n. 2888 (5010). Rogata enim S. R. C. « An praenotatis verbis Caeremonialis, *vestibus nigris*, etiam stola comprehendatur, ita ut sermocinaturus in laudem defuncti.... stola super veste talari, vel alia dignitati suae competenti, indui debeat », respondit: « Negative ».

Hinc perspicua patet: *a*) vestem concionantis esse debere **nigram**, non violaceam. *b*) **Nigram** esse debere, sive sit Canonicus aut Praelatus, sive non; quia lex loquitur de reverentia aut genuflexione Episcopo facienda **pro qualitate personae**: Canonicus autem saltem Cathedralis Ecclesiae, uti et Praelatus, reverentiam faciunt, et reliqui reverentiam. *c*) Concionatorem nigra veste indutum posse ac debere presbyterium ingredi, quicumque ille sit, cum Episcopo reverentiam facere debeat vel genuflexionem, qui tunc in throno sedet. *d*) Nigra indutum veste accedere concionantem debere in presbyterio, sine tamen stola. Haec omnia clara sunt et expositione non indigent.

Animadvertimus quoque, Caeremoniale Episcoporum verba quoque facere de concionante infra Missam, quod et infra Vesperas iure intelligi potest, sed non tamen in laudem defuncti; et tunc satis diversus est modus se exprimendi, cum nominet pro Canonico Rochettum et Cappam (*Lib. I, cap. 22, n. 2*). Hinc cl. De Herdt commentatur: « Concionator... utitur habitu Canonicali, modo concio habeatur.... infra Missam et Vesperas etc. Si Concionator sit Protonotarius, ei in habitu praelatitio, videlicet Rochetto, Mantelletto et stola concionari licet (*Loc. sup. cit.*) ». Quod etiam constat ex Decreto in *Nuceriae Paganorum* d. d. 11 Nov. 1641, n. **776** (1350). Ex qua diversa se exprimendi ratione legis manifesto sequitur, Concionatorem in laudem

defuncti nonnisi vestem nigram adhibere posse, sine cotta et stola.

Ratio autem huiusce dispositionis est, quia color niger est dominans in tota functione; hinc Pluviale Episcopi, nigri coloris est, nigri coloris paramenta faldistorii in Absolutione sequenti, pannus ipse in Sede Episcopali niger. Ergo et Concionator nigra veste sit indutus sine cotta et stola.

At Concionator in casu est Praelatus, quare ergo uti non poterit habitu praelatitio, suae dignitati respondenti? Responsio facilis et duplex. Primo, quia habitus praelatitius violaceus non cohaeret legi, sicuti demonstratum est. Secundo, quia non solum vestis talaris violacei coloris cum Mantelletto est praelatitius, sed etiam praelatitius est habitus, vestis talaris nigra cum globulis violacei coloris. Ergo hanc induat Praelatus, cum qua et Praelatum se ostendet, legique adhaerentem. Hoc tamen concedi posse credimus, ut super dictam vestem Mantum induat violacei coloris; sicque integrum indumentum erit praelatitium, civile tamen potiusquam ecclesiasticum, quod in casu, ratione maestitiae in concionante videtur exigere Caeremoniale Episcoporum. Ex quo sequitur, adhibere Praelatum non posse Rochettum, quod sicuti cotta ex lege prohibitum dicendum est. Quod si consuetudo habitus praelatitii deferendi in casu iam invaluit, quid respondendum nescimus; sed si legi sit standum tum aequae tamque perspicuae, hoc unum dicere possumus: Consuetudo alia consuetudine vincitur.

BREVIORA RESPONSA

I. *Pro Senis.* De aliquo Sancto potest bis celebrari festum, et revera ita saepius comprobatur, uti notum est. Quanto magis id licitum dicendum erit, si de eodem Sancto, una vice agitur in communi cum aliis, altera vero separatim? Non credimus inconveniens ut, celebrato festo Ss. Sept. Fundatorum die 11 Februarii, festum S. Alexii peculiare iterum celebretur die 17 dicti mensis. Hoc tamen, intellige, ex concessione legitimae auctoritatis.

II. *Pro cod. loco.* SS. Sacramentum est exponendum a Diacono vel Sacerdote, cotta et stola induto: ut pro cotta non deceat solum adhibere rochetum. Eiusmodi est regula generalis in administratione Sacramentorum et peculiarem vim possidet cum agitur de Sacramentorum, maximo ratione dignitatis. Hinc statutum est, ut *in administratione Sacramentorum Canonici Cathedralis teneantur deponere Cappam, atque* **uti superpelliceo et stola** *(Dubiorum, Dubia additionalia* ad 1, num. **2577**—4536, 31 Maii 1817 confirm. 4 Iun. d. anni).

Nota. Ratio ex qua genua flecti non solent ad *Tantum ergo* in hymno *Pange lingua*, videas Vol. 1893 ad pag. 203, Dub. IV.

III. *Pro Lincio.* Quando in ferias Rogationum incidit festum solemne, de quo canitur Missa, nec Missa Rogationum omittitur ratione processionis, in Missa festi omittenda est, more solito, ut in similibus aliis casibus, commemoratio Rogationum.

IV. *Pro cod. loco.* Missae feriarum maiorum certe votivae non sunt, prouti communiter accipiuntur, sed de die; at nescimus unde consequens inferri possit de omit-

tenda commemoratione officii recitati, etsi de eo Missa conventualis habeatur: nisi et ipsa Missa ferialis sit in praecepto ut secunda conventualis, quo in casu, unaquaeque commemorationem excluderet alterius. Nam dictae Missae sunt feriales et nullam commemorationem excludunt; imo in iis aliae quoque Orationes dici possunt ultra praescriptas; qua ergo de causa commemoratio occurrentis officii deberet omitti? Num solae Missae votivae dictam officii commemorationem admittunt, reliquae excludunt? In ipsis Missis Dominicarum maiorum fieri debet commemoratio occurrentis simplicis, de quo non recitatur officium, et in Missis de feria omitti poterit com. de eo, de quo officium recitatum est? Legantur ergo praefatae Missae prout in Missali, sed com. officii nunquam omittatur.

V. *Pro eod. loco.* Missa votiva et festum occurrens, haec duo maxima in relatione sunt inter se: ut Missa eadem votiva prohibeatur, si de eodem sit subiecto aut obiecto, ac festum occurrens. Haec lex generalis, quam satis notam ponimus. Verum haec relatio non adest inter officium votivum et votivam Missam; quia officium votivum non est festum occurrens, de quo ex praecepto agendum est; sed officium quod *per se* libertati relinquitur. Bene ergo qui officium votivum recitat ex. gr. de Sacramento, legere Missam potest de Passione Domini, vel de SS. Corde Iesu, et viceversa, uti ex Decreto constat in *Lincien.* 6 Febr. 1892, n. **3764** ad XI. Ergo, ex identitate rationis, et ille qui recitavit officium de Immaculata, bene Missam legere poterit de Septem Doloribus vel de Purissimo Corde Deiparae, omissa commemoratione officii.

Nota. Color proprius actus consecrationis Ecclesiae, seu pro Episcopo consecratore, seu pro sacris ministris, albus est; prouti Pontificale praescribit. Cumque Rubrica prorsus sileat de alio colore adhibendo a Sacerdotibus Re-

liquias Sanctorum gestantibus, palam sequitur, paramenta ab ipsis induenda eiusdem coloris esse debere. Nec refert Reliquias esse, principaliter saltem, Sanctorum Martyrum; quia tota actio consideranda est in suo complexu, non in uno actu tantum, qui exigere posset colorem rubrum.

VI. *Pro Hollandia.* Quaeritur: an dies obitus computandi sint ab hora obitus numerando 24 horas, an potius diem finiendo hora duodecima nocturna. Reponimus, latiori sensu dies obitus esse computandos in defuncti gratiam, et potius horas 24 computandas ab hora mortis, sed cum aliqua latitudine. Ex. gr. Si quis defunctus tumulatus fuerit, hora septima feriae secundae, hora decima feriae quartae bene Missae haberi poterunt, si antea tempus minus congruum fuerit.

VII. *Pro eod. loco.* Sacerdos, accepta notitia de alicuius obitu, citra omne dubium potest legere Missam de requie pro illo, ut pro die obitus, si ritus semiduplex occurrat (*Rubr. Gen. Miss. Tit. V, n. 3*).

VIII. *Pro Oppido Vicario Segobricensi.* Ex regula generali Expositio Sacramenti semel in die facienda. At casus dari queunt, in quibus etiam secunda vice locum habere posset, dummodo ea semper honori Sacramenti et fidelium fidei augendae vertat. Semper tamen aliquid de more canendum dum Sacramentum exponitur et dum reponitur.

IX. *Pro eod. loco.* Ante Sacramentum expositum Sacerdos celebraturus transiens debet genuflectere utroque genu et caput detegere. Confer simul Decreta *Urbis* n. **937** (1627) ad 6, et *Wilnen.* n. **2427** (4237) ad 10, perpendas Rubricam Missalis Tit. II, n. 1 (*Rit. celebr.*), et negotium luce meridiana patebit, quin alio indigeamus Decreto.

X. *Pro eod. loco.* Pro Tertia solemni sex lumina accenduntur in altari principe, si ibi Pontificalia Missarum

sunt agenda : si Tertia canatur in Sacrario vel in Secretario, duo sufficiunt ad altare sacelli lumina, cum ibi Missa non debeat cani, sed locus tantum ad paramenta induenda consideretur.

XI. *Pro eod. loco.* Festum secundarium, licet magis proprium, non praevalet in paritate ritus primario, licet minus proprio : constat ex Rubrica Breviarii. Proinde Conversio S. Augustini non praevalebit S. Pio Pp. V, si ritu sint festa paria.

XII. *Pro Praga Bohemor.* Episcopus, sit, vel non, paratus, habeat, vel non, candelam in altera, in altera manu Pastorale, cum transit ante SS. Sacramentum in tabernaculo asservatum, tempore processionis, debet cum omnibus Assistentibus genuflectere, nulloque pacto sufficit capitis inclinatio. Pastoralem pedum nihilominus tradet clerico seu Cappellano, non enim convenit ut cum illo in manu genuflectat, Mitram deponet et pileolum, saltem iuxta romanam praxim.

XIII. *Pro eod. loco.* Episcopus Missae solemni assistens non tenetur deponere pileolum ad Praefationis initium; imo, attento Decreto in *Oppiden.* num. **2895** (5017) ad 3, neque illud deponere tenetur a consecratione ad consummationem, sed sufficit ei esse *sine mitra et sine bireto tantum.* De throno autem ad genuflexorium pergens Episcopus paratus, mitra non bireto caput operit. Episcopus vero celebrans pileolo nudabitur, ait Martinuccius, quando cessabit organorum sonitus, nempe antequam cantum Praefationis incipiat (*Lib. V, Cap. IX, n. 126).* Consuetudo fert, ut in Missa privata immediate ante Praefationem pileolo nudetur Episcopus, sed lex tacet, ut si post *Dominus vobiscum* ille eodem pileolo nudetur, actus censura notari nequeat.

XIV. *Pro Hispania.* Oratoria domorum Regularium suis privilegiis ex Tridentina Synodo fruuntur, vi quorum,

habeant, vel non, ipsi Regulares Ecclesiam publicam, uti semipublica, imo uti publica haberi toto iure possunt : adeo ut fideles etiam satisfacere praecepto audiendi Missam valeant, et a fortiori Sacramenta suscipere. Inferes : 1. Nullum dubium, in Ecclesia eorum publica, purificatis conditionibus necessariis, posse in qualibet prima feria VI mensis celebrari Missam votivam de SS. Corde Iesu, exceptis duplicibus I cl. et festis eiusdem subiecti : 2. Nullam ad id requiri Ordinarii facultatem, sed tantum approbationem, illam enim concessit summus Pontifex Leo Pp. XIII. 3. Eamdem Missam posse celebrari etiam in Oratorio domus, alumnis fidelibus praesentibus, purificatis tamen conditionibus, ut supra. 4. Alumnos Collegii, in casu, posse in Oratorio domus Regularis et communionem recipere et paschali praecepto satisfacere ; quia alumni, quos in propria domo vel in Collegio sibi credito Regulares dirigunt, Regularium privilegio et ipsi gaudent. 5. In Oratorio Regularium asservari quoque posse Sacramentum, nec requiritur dispensatio Apostolica, ratione privilegiorum quibus Regulares fruuntur. Quod si fortasse de re dubites, consulas Decretum *Oriolen.* n. **3662** (5970) ad 3, et veritas undequaque patebit.

XV. *Pro Motyca Syracusana.* Alibi docuimus (Vid. *Ephem.* an. cur. pag. 183) sequendam esse novam Decretorum Collectionem, et non antiquam, ut auctores qui de re liturgica tractarunt, iuxta eamdem editionem corrigendi sint. In casu praesenti Decretum in *Placentina* (num. 235) ad 11 aliquantulum mutatum fuit, et bene ; nam antiqua lectio quoad interpunctionem errata erat. Auctores vero, uti a Carpo, Gonella etc. lectionem veram sequebantur, quae fere eadem est ac illa praesentis Decreti, quamvis verba aliquantulum mutata sint.

XVI. *Pro Gallia.* Festum S. Ioseph, Sponsi B. Mariae Virginis, a Clemente XI anno 1714 ad ecclesiam univer-

salem extensum fuit, et ipsemet Pontifex, uti communiter scribitur, officium ex S. Scriptura composuit. Ex his verbis nonnulli coniecerunt etiam tres hymnos, nempe *Te, Ioseph, celebrent*, — *Coelitum Ioseph* et *Iste, quem laeti colimus*, qui in eodem officio leguntur, ab eodem Pontifice compositos esse. Sed haec inductio nobis non videtur logicae legibus inniti. Nam ex eo quod dicitur Clementem XI ex S. Scriptura dictum officium composuisse, non sequitur et hymnos ab eodem compositos esse, cum reapse ex S. Scriptura non sint deprompti. Sed, etiam si dicere velis hymnos ex Scriptura sacra depromptos esse, locutio praedicta *composuit*, alium sensum admittit, nempe: materiem huc illuc depromens Clemens XI formam praesentem praedicto officio dedit; idcirco vere dici potuit quod ab ipso compositum fuit. Si aliter verbum *composuit* intelligitur, quod nempe etiam hymni comprehendit, assertio falsa est; nam hymni iam compositi erant, et primus idest — *Te, Ioseph, celebrent* — magno Gersoni tribuendum videtur; secundus — *Coelitum Ioseph*, — ignoti auctoris in Breviario Benedictino anno 1580 edito legebatur; tertius vero — *Iste quem laeti colimus* — item ignoti auctoris eiusdem temporis est, nempe saeculi XVI. (Confer *La poésie du Bréviaire*, Tom. I, *des Hymnes*, par *Célestin Albin*).

XVI. *Pro Utino.* 1. Quotiescumque almum Eucharistiae Sacramentum exponitur in Missa, fieri in eadem Missa potest et debet de eodem Sacramento commemoratio. Ita Decretum in *Pisauren* d. d. 15 Maii 1819 ad 2. num. **2598** (4561). In Missis autem cantatis, quae habentur ad aliud altare ab illo, in quo Sacramentum expositum est, fieri certe potest; sed fieri debere non constat, nisi ex Clementina Instructione, quae de Oratione vere 40 Horarum verba facit. Sed arbitramur idem fieri quoque posse, (de obligatione nobis non constat) cum agitur

de Oratione ad instar 40 Horarum, uti in casu proposito.

2. Expetita S. R. C. « An stola pro ministranda SS. Eucharistia extra Missam esse debeat coloris officio illius diei convenientis, ut praescribit Rituale Romanum; vel etiam esse possit alba, prout valde conveniens etc. » respondit iuxta novissimam Decretorum Collectionem: « Affirmative ad utrumque (*Decr. 2740 ad* 2.) Et sapienter; nam lex Ritualis *per se* importat praeceptum, ergo servanda, proindeque iuxta est affirmativa responsio. At color Sacramenti Eucharistiae proprius est albus, qui illi convenit; ergo et haec norma servari potest, tamquam ex indulto, ac proinde aequa est et ad alterum responsio affirmativa. Verbo, prima responsio legem, altera indultum respicit; hic est sensus Decreti.

3. Decretum in *Mutinen.* 23 Sept. 1837, n. **2769** (4815) ad X, Dub. 2, quaerit: « Cuius coloris debeat esse pluviale pro tali benedictione »? quae scilicet datur feria VI in parasceve cum Reliquia SS. Crucis. Respondit autem: « Servetur consuetudo ». In Decreto isto, uti in antiqua Collectione prostabat, praeter pluviale inquirebat idem Dubium 2 etiam de *colore Veli humeralis*; sed haec verba in nova Collectione deleta fuere. Ratio expunctionis fuit, quia super colore Veli humeralis servari consuetudo nequit, sequi enim ex lege debet colorem paramentorum. Ne ergo inferas dicti veli prohibitionem in casu, non enim sequitur.

4. Quando in Oratione *A cunctis* nominari nequit Titulus Ecclesiae, nominatur Patronus loci: in cuius defectu etiam Patronus Dioecesis, qui illius locum tenet. Ita ex Decretis.

Indumenta Liturgica in Ecclesia Latina

Commentaria critico-historica.

(*Cont. vid. n. 2 pag. 123*).

I. **Amictus seu Humerale.**

5. Innuimus supra (num. 3) amictum sub saeculo circiter decimo aliquod tegumentum capitis evasisse. Hoc statuere tempus cogimur; nam in praecedenti desunt documenta, quae circa hunc morem aliquid innuant. Sacramentaria saeculo decimo anteriora ne obiter quidem attingunt in suis, quam in induendo amictum habent, precibus, illum esse galeam salutis, uti recentiora faciunt. Sic *Liber Sacramentorum Ecclesiae Turonensis* (Saec. VIII) hanc affert orationem: « *Ad amictum*: Iugum tuum, Domine Iesu Christe, pone in collum meum quia suave est, et onus tuum quia leve ». In veteri Ecclesiae Bellovacensis *Missali* legitur: *Ad amictum*: Conscinde, Domine, saccum meum et circumda me laetitia (1) ». Ordo V (Caroli Magni tempore) haec habet:

(1) Haec eadem oratio, una cum sequenti, in Ordine XV etiam invenitur, hac praemissa advertentia: « Has Orationes composuit S. Ambrosius ». *Ad Ephod sive ad Amictum* ». Sequitur oratio in textu relata, et postea: « *Alia* — Humeros meos Sancti Spiritus gratia protege, Domine, renesque meos vitiis omnibus expulsis praecinge ad sacrificandum tibi Deo viventi et regnanti in saecula saeculorum ».

« Circumda me, Domine, laetitia et fidei armis ut ab iniquitatum erutus sagittis, valeam aequitatem et iustitiam custodire ». Singularis est autem oratio quae in Ordine XI invenitur ad Missam pontificalem in *Dominica Paschae*. Versibus exametris composita est, eamque praecedit Rubrica de modo offerendi Episcopo amictum. Haec est : « Minister administret superhumerale et dicat : Iube, Domine, benedicere. — Respondet Episcopus :

Virtus summa Deus cunctorum rector opimus,
Tu benedic nostrum, quo nunc ornamur, amictu :
Ut servire tibi valeamus Corde pudico. Per omnia...»

In Ordine XVI (Saec. VIII ?) legitur : « Sub velamento alarum tuarum, Domine, tua me cooperi pietate, ut tibi ministrem placita virtute et cordis humilitate. Per Dominum.... ». Missa Illirica a Flaccio Illirico edita habet : « *Induendum Ephod vel Amictum :* — Humeros meos Sancti Spiritus gratia tege, Domine, renesque meos vitiis omnibus expulsis praecinge ad sacrificandum tibi viventi et regnanti in saecula saeculorum » (1).

6. Post saec. X e contra preces in quibus amictum ut *galea salutis* indicatur, frequentiores evadunt, generatimque nil aliud sunt nisi abbreviationes vel amplificationes orationis praesentis (2). Ita ex. gr. Ordo XXVI (Saec. XIII) habet : « Pone Domine galeam salutis in capite meo ». Oratio Ordinis XXVII (Saec. XIV) dicit : « Concede Domine galeam salutis capiti meo ad expugnandas et superandas diabolicas fraudes. Per Dominum....». Missale Ambrosianum (iussu S. Caroli editum) legit : « Pone Domine in capite meo galeam salutis ad expugnandas dia-

(1) Omnes has citationes Vide in **Martène** *De antiquis Ecclesiae ritibus*, Lib. I, Cap. IV, Art. XII.

(2) Praesens oratio : « Impone Domine capiti meo galeam salutis ad expugnandos diabolicos incursus ».

boli fraudes ». Et illud Mozarabicum (iussu Card. Ximenes Archiep. Toletani editum) : « Pone Domine galeam salutis in capite meo ad expugnandas et superandas omnes diabolicas fraudes, omniumque inimicorum meorum saevitiam superandam (1) ».

Inter liturgicos primus, qui de amictu, tamquam capitis tegumento, loquitur, est Robertus Deutzensis († 1135); sed ex illius verbis eruitur talem usum nondum fuisse generalem ; ait enim : « quidam amictu caput obnubit, donec super os casulae illud devolvat et velut caput aut coronam illud coaptet (2) ».

Ivo Carnutensis et Bruno Signensis († 1123) hunc usum ignorant. E contra Stephanus Eduensis Episcopus († 1120) (3), Honorius Augustodunensis († 1124 ?) (4), Siccardus Cremonensis († 1215), Innocentius III († 1216) et Durandus († 1296) (5) illum tamquam generalem describunt.

Tandem Ordo Romanus XIV quomodo amictus induendus sit a Pontifice describit : « in primis ergo acolythi deferant amictum, quem ponat super caput Pontificis diaconus, et eiusdem amictus chordulam sinistram diaconus,

---

(1) **Martène** l. c.

(2) *De offic. divinis lib. I, cap. 19.*

(3) In tractatu *de Sacramento altaris cap. X* scribit : « caput eius (Sacerdotis) amictu velatur; in quo divinitas velata humanitate figuratur ».

(4) *Gemma animae* sive *de antiquo ritu Missarum* Lib. I, cap. 201 : « Humerale, quod in lege *Ephot*, apud nos *amictus* dicitur, sibi imponit (Sacerdos); et illo caput et collum et humeros (unde et *humerale* dicitur) cooperit ».

(5) *Rationale divinorum officiorum*, lib. III, cap. II; « illo (amictu) caput operimus, ne circumquaque libere prospiciendo illicita cogitemus ».

dextram subdiaconus accipiat et post tergum Pontificis ducant et reducant ad anteriorem partem super cingulum, quas invicem colligare poterit ipse Pontifex.... Planeta plicata, diaconus de capite Pontificis amictum deponat et aptet circa collum eius ».

7. In Aevo Medio usus imponendi amictum super caput generalis evasit. Quando S. Pontifex Pius V novam in lucem dedit Missalis Romani editionem, hic mos coepit obsolescere, et quo in diversas regiones ipsa sensim invecta fuit, eo et praedictus mos desiit. Nostris temporibus usus imponendi amictum super caput, tantum in aliquibus Ordinibus religiosis, praecipue Mendicantibus, remansit. In ritu Romano duo adhuc illum memorant, nempe, ordinatio Subdiaconorum (1), atque oratio, quam Ministri maiores dicunt in amictu sibi imponendo, ubi leguntur verba: *galeam salutis;* idcirco priusquam amictus circa collum ponatur, caput paulisper cum illo tangitur.

8. Antiquitus amictus generatim formae quadratae vel rectangularis erat, atque iuxta dignitatem illius qui illum sibi imponebat, grandior plus minusve. Chordulas non habebat; chordulae enim videntur inventae fuisse, quando amictus ad caput cooperiendum inservire coepit. Ante hoc tempus scriptores ne verbum quidem faciunt de chordulis, quamvis omnia describant, etiam res parvi vel nullius momenti, quae ad habitum liturgicum spectant; dum postea scriptores de chordulis fere omnes loquuntur.

9. Circa idem tempus videtur incoepisse mos amictum exornandi. Complexus horum ornamentorum dicebatur *parura* vel *auriphrygium* (*auriphrysium*). Haec exornatio ita fiebat: sericus pannus acu pictus vel etiam gemmis

(1) « Tunc Pontifex sedens ... amictum qui in collo ordinandorum iacet imponit super caput singulis ». *Pontif. Romanum. De ordinat. Subd.* (sub fine).

ac margaritis auctus uni ex quatuor lateribus, idest illi quod super caput vel circa collum ponebatur, adiungebatur. Aliquando iste sericus pannus adiunctus deerat, atque idem amictus in dicto latere eodem modo ornabatur. Cum Celebrans omnibus liturgicis habitibus se induerat, amictus qui supra caput tunc stabat, circa collum deprimebatur. Ceterum non omnes amictus eiusmodi ornamentum habebant; nam ex antiquis inventariis quae nobis remanserunt eruitur una cum amictibus splendide exornatis, aliquos etiam absque ullo ornamento in usu fuisse. Usus exornandi amictum uti sensim in usu venerat, ita et sensim obsolevit. Tempus in quo hic mos magis viguit, sunt saecula XIII et XIV. In Italia viguit in Ecclesia Mediolanensi etiam tempore S. Caroli (1). Etiam

(1) Etiam nunc in Ecclesia Mediolanensi mos huiusmodi viget. A Cl. Magani in suo opere: l'*Antica Liturgia Romana* (*Vol. I.*) in Appendice cui titulus: *Appendice sul Rito Ambrosiano, cap.* VIII, *La messa*, ita describitur haec exornatio amictus: « eadem sunt indumenta sacerdotalia (Ecclesiae Mediolanensis ac Romanae), uno tantum discrimine facto, (nempe) parva cappa *(cappino)* idest vitta eiusdem naturae ac sacrae vestis, cum crucibus, ad modum parvae stolae, quae vitta posita est super humeros ad oram casulae, dalmaticae et tunicellae; ab origine forsitan (fuit) quoddam genus sudarii, ne sudor indumenta inquinaret ». Et in nota ad hunc locum: « Sub hoc respectu et tamquam appendix, ut ita dicam, amictus consideratur ab ambrosianis, uti eruitur ex *Acta Ecclesiae Mediol., Instructio fabricae, L. II, de amictu:* « Amictus (qui, quoniam humeris imponitur, superhumerale etiam appellatur) eiusmodi, ut olim fuit, esse debet, cui fascia assuatur, quae tamquam collare quoddam circa collum super casulam aptetur. — Fimbria porro fasciae condecenter exornata sit; cui praeterea tres cruces annectantur, una in medio et in utroque capite duae.... ». (*)

(*) Alio in loco idest in libro II ad titulum *De supellectile Ecclesiae Cathedralis lib.* I pag. 605 legitur: « Amictus Sacerdotalis cum suo auriphrygio seu fascia ».

Card. Bona et Benedictus XIV de eo loquuntur (1); sed Ecclesia Romana in amictu tantum crucem in medio cognoscit. Vestigium *paruræ* impraesenti videri potest in acu pictis operibus, quae latera amictus ornant; sed, uti patet, nihil communis habent cum magno pretio, quod proprium erat *paruræ*.

10. Materia magis communis ex qua antiquitus amictus conficiebantur, erat linea; etiam ex serico conficiebantur, sed raro. Hodie materia serica magis rara evasit; sed materiae permissae sunt linum et cannabis, iuxta S. Rituum Congregationis decreta. En verba decreti prout legitur in nova Decret. Collectione, Vol. II, num. 2600: « *Decretum generale*. Quamvis S. R. C. in una *Pisauren.* sub die 15 Martii 1664 reprobaverit morem, qui forte alicubi obtinuerat, conficiendi Amictus, Albas, Tobaleas Altarium, nec non Corporalia et Pallas ex tela quadam composita e lino et gossipio subtilissimo; nihilominus novissimis temporibus adeo invaluit abusus, ut, constanti Ecclesiae disciplina posthabita, nonnullis in Ecclesiis non alia adhibeantur supellectilia vel ad sacrificandum vel ad altarium usum nisi ex simplici gossipio confecta. Ad hanc corruptelam.... radicitus evellendam studia converterunt E.mi et R.mi Domini Cardinales Sacris tuendis ritibus praepositi: solliciti idcirco, ut quod usque ab Ecclesiae primordiis quoad sacras indumenta et supellectilia ob reales et mysticas significationes inductum est, retineatur, restituatur et in posterum omnino servetur, declararunt et decreverunt: « ab antiquo more non esse recedendum; et eadem sacra indumenta ac supellectilia conficienda esse *ex lino aut ex cannabe*, non autem ex alia quacumque materia.....». Et ita decreverunt ac ubique lo-

(1) **Bona**, *Rerum liturg. Lib. 1, cap. 24, n. 3*; **Benedictus XIV**, *De SS. Sacrificio Mis. Lib. 1, cap. 5.*

corum, si SS.mo D. N. placuerit, servari mandarunt. Die 15 Martii 1819. Facta autem per me Secretarium SS.mo D. N. relatione, Sanctitas Sua Decretum S. C. approbavit, confirmavit typisque editum publicari praecepit; ac praeterea iussit ut locorum Ordinarii eiusdem observantiae sedulo incumbant. Die 18 eiusdem mensis et anni » (1).

11. Sensus symbolici sive mystici ab scriptoribus amictui tributi plures sunt; nonnulla attingemus. Amictus « est latibulum capitis, idest divinitatis in Christo; significat velamen faciei Christi, seu coronam spineam, nam velat caput, non faciem amictus. Docet vero: labores esse ferendos; spem caelestium; munditiam bonorum operum; fortitudinem operum quasi cum duabus vittis, intentionem et finem etc. » (2).

12. Compendifacientes quae de amictu dicta sunt, haec habemus: *a)* Amictus usus antiquus est, Saec. VIII anterior; *b)* generaliter amictus est primum inter indumenta liturgica; *c)* antiquitus circa collum, uti hodie, ponebatur; *d)* post saeculum X super caput poni, ornari cum *parura*, et cum chordulis ante pectus ligari coepit; *e)* aevo medio

---

(1) Novissimis diebus S. R. C. permisit pro Vicariatu Se-Ciuensis Sept.-Occidentalis in Sina usum cuiusdam telae, vulgo *Hia-pou*, « quae ex planta a peritis historiae naturalis *Urtica nivea* et in lingua sinensi *Ho-ma* appellata, et ad familiam lini pertinente, provenit ». (Decret. d. d. 27 Ianuarii 1898. Vide *Ephem.* an. 1898 pag. 482 et *Decret. Authent.* Vol. III, num. 3995). E contra per Decret. d. d. 13 Augusti 1895 (num. 3868) *in Placentina* prohibita fuit quaedam tela vulgo *Nipis*, quamvis « nititidate tenacitateque linum » aemularet.

(2) Vide **Gavantus** cum **Merati**, *Vol. I. Pars, II Tit. I, pag. 335;* et **Durandus**, *Rationale Divin. Officiorum, lib. III, cap. II.* et **Honorius Augustodunensis**, *Gemma animae*, Lib. I, cap. 201, ubi plura invenies circa mysticum sensum amictus.

exeunte ad pristinum illum induendi modum reditur, vestigium aliquod retinendo de modo quo induebatur in aevo medio, nam antequam circa collum ponatur, caput antea tangitur; *f)* oratio quae in illum induendo dicebatur, servata fuit, uti et chordulae; *parura* e contra derelicta fuit et forsan eius loco opera acu picta adhibita sunt; *g)* nostris temporibus, in ritu Romano, solummodo apud nonnullos Ordines religiosorum usus ponendi amictum super caput servatur.

I. B. A. P. C. M.

(Continuabitur).

AMPLIORES DECLARATIONES

super duobus Dubiis in num. 3 an. volv. resolutis.

1. In tertio numero volventis anni 1900 solutor quaestionis gravissimis momentis innixus sustinuit, praesentiam moralem cadaveris iisdem ac physicam gaudere iuribus. Hinc in Absolutione cadaveris Sacerdotis, *moraliter* tantum praesentis, Cruciferum sistere debere inter altare et cenotaphium, non vero inter cenotaphium et Ecclesiae ianuam, quasi cadaver esset simpliciter absens. Alter autem ex Consociatis nostris Epistolam ad nos misit, dicens sententiam ab Ephemeridibus defensam etiam lege comprobari posse, ob recens Decretum, quod forte solutorem latuit, vel ab oculis eius effugit.

Gratias Consociato referimus, et Decretum hic referre necessarium iudicamus: est in una *Dubia* d. d. 20 Iun. 1899, num. **4034**, ad 3, et sic se habet: « Num officium agens et Diaconus, in Absolutione absente cadavere collo-

care se debeant semper inter tumulum et altare; et Subdiaconus inter Ecclesiae ianuam et tumulum, sive Absolutio fiat pro laico, sive pro Sacerdote? » Responsum est autem : « Affirmative, excepto casu, quo cadaver sit moraliter praesens ». Iam nunc abunde constat, tumulum, sit cadaver laici praesens, sit absens, modo semper eodem ponendum esse in Ecclesia, ut sacri Ministri locum mutare nunquam debeant ; ergo moralis praesentia, de qua Decretum, respicere solum potest tumulum pro Sacerdote, eius cadavere moraliter praesente. Consequenter, Sacerdotis cadaver, non solum si praesens sit physice, sed etiam si sit moraliter praesens, Cruciferum semper exigit inter tumulum et altare, iuxta casum in Decreto exceptum. Consequenter praesentia moralis iisdem gaudet iuribus ac physica. Ex dictis conclusio certa inferenda, est sequens : Quod uti opinionem dedimus, uti veritas, Decreto posito, tenenda est.

2. Diximus ad pag. 179 (Dub. III) S. Mariam Magdalenam esse a die 27 Maii ad 29 reponendam in Calendario Ecclesiae universalis, cum sit dies prima libera, posito die 27 dicti Mensis festo S. Bedae. Pro iis vero, qui die 29 Maii festum agunt S. Bonifacii P. IV, S. Magdalenam ulterius transferendam diximus. Id tenendum credimus ; nam cum festum S. Mariae Magdalenae in quasi-natalitia die sit statuendum, absolute loquendo nescimus an tali die 29 revera collocabitur in nova editione Martyrologii Romani. Sed hoc quoque concesso, haec dies quasi-natalitia in conflictu erit, (pro iis qui officium habent S. Bonifacii) cum alio die festo huiusce Sancti, quod iure in die pariter quasi-natalitia considerari potest. Haud raro enim accidit, ut duo festa, quorum alterum ad Ecclesiam universalem, alterum ad particularem, eadem sint in die quae quasi-natalitia sit. Aliunde S. Bonifacius die 29 Maii notatur in proprio Missalis atque Breviarii Romani pro Clero saeculari Urbis. Quare ergo talis dies pro hoc S. Pontifice quasi-natalitia non foret habenda ? Quo posito Solutor thesim suam probare censuit num IV Decreti Ge-

neralis 3811 : quamvis meliori iure adhibere potuisset num. I Decreti, quia die quasi-natalitia festum Sanctorum vere colitur, non tantum officium. Hinc argumentum, cui data solutio innititur, haec est : S. M. Magdalena et S. Bonifacius ambo in die quasi-natalitia sunt ; atqui antiquior est tali die 28 S. Bonifacius ; ergo, Decreto Generali posito, S. M. Magdalena, hac die impedita, ulterius transferenda.

QUAESTIO LITURGICA

De octava pereunte vel non Sancti Titularis extra suam diem celebrati.

Quaeritur: Quando agendum sit cum octava, et quando sine octava, festum Titularis impediti in die sua.

Resp. Ut responsio undequaque innotescat, aliquod enim Decretum hac super re deletum est, aliquod vero novum in recenti Collectione invenitur, per sequentes numeros integram super octava Titularium doctrinam declarabimus.

1. Titulus, idem dicas de Patrono ac Dedicatione, multiplici sensu potest die sua impediri, adeo ut servet vel non, secluso privilegio, octavam suam integram iuxta impedimenti naturam.

2. Impedimentum esse potest tempus vetitum, prout in Rubricis, nempe a feria IV cinerum ad Dominicam in Albis, a vigilia Pentecostes ad Dominicam Trinitatis, a die

17 Dec. ad festum Epiphaniae. His in casibus festum Tituli amittit octavam, saltem partialiter, secundum quod, incidens in tempus octavas permittens, dies aliquot de ea fieri non possunt ex sequentibus, quod tempore vetito includantur.

3. Idem praedicandum de tota octava Corporis Christi, ubi est privilegiata ad instar Epiphaniae, idque iuxta Decretum in *Pampilonen.* **2954** (5106). Ratio aliunde patet; si enim privilegium, Corporis Christi festum aequiparat festo Epiphaniae, sicut, hac adveniente, octavae inchoatae cessant, ita eas quoque cessare necessum est, adveniente festo Corporis Christi.

4. Impedimentum esse potest translatio festi cum octava celebrandi, eoque in casu octava vel integre vel partialiter cessabit, prouti festum vel intra suam octavam, vel extra totam octavam erit celebrandum: id aperte constat ex Rubricis (*Tit. X n. 1*).

5. Hic autem difficultas oritur; Rubrica enim citata ait: « Quod si festum post totam suam octavam transferri contigerit, *illo anno* celebretur sine octava, nisi Titularis Ecclesiae *privilegio* aliter fieri oporteat ». Quo in textu duo perspicue patent: *a*) ibi agi de casu simplicis translationis: *b*) de privilegio speciali pro Titulo in eiusdem casu translationis. Ergo etiamsi de Titulo fiat per annum translatio extra totam octavam, Titulus ex privilegio rubricae integram servare poterit octavam suam. At reponimus, Rubricam non tribuere, in casu, absolute privilegium Titulari ut translatus extra totam octavam celebretur nihilominus cum octava; sed dicit tantummodo dictum privilegium posse concedi, equidem a competenti auctoritate. Si ergo privilegium non concedatur, quodcumque festum extra suam octavam per annum translatum, atque ipsum festum Titularis, amittit octavam.

6. Impedimentum esse quoque potest assignatio festi

habentis octavam in alia die a sua, quae pro die propria perpetuo *ex se* recolenda erit. Hoc autem in casu festum Titularis integram servabit octavam, cum qua transfertur. Hac super re extabat Decretum in *Tornacen.* d. d. 1 Sept. 1866, quo edicebatur octavam spectare ad omnes Titulares, qui incidunt in diem propriam aut *in fixe translatam*, non vero ad incidentes in alium diem, seu in translatos ad annum. Hoc Decretum non legitur in nova Collectione, aliud nihilominus extat novum in ea dicens: « Si accidat ut Titulus Ecclesiae vel loci Patronus transferri debeant in aliam diem, quaeritur: Num relative octavam servabunt? » Responsum est autem: « Affirmative, si agatur de translatione perpetua; secus, Negative (**4034**, *20 Iun. 1899*) ». Stat ergo ius antiquum, ita ut translatio quidem octavam impediat vel integre vel partialiter Titularis, haud vero assignatio. Ratio autem est, quia non convenit ut festum Tituli ius habens ad octavam, hac octava perpetuo careat. Ceterum dies assignata stat vere et perpetuo, *per se* saltem, pro die propria, ut iure eodem ac ista octavae privilegio frui debeat.

7. Aliud denique alterius generis impedimentum, si ita loqui fas sit, considerari potest, videlicet translatio, quae non fit ad unum tantum annum, neque pro omnibus annis, ut assignatio, sed toties, quoties dies propria aliqua de causa impeditur, et festum in eadem semper die determinata ex indulto recolitur. Exemplum sumas a festo Annuntiationis Deiparae, quod die 25 Martii impeditum reponendum est semper in feriam II post Dominicam in Albis. Si Annuntiatio die 25 Martii gauderet octava, qua caret ratione temporis, eadem ne gauderet in feria II post Dominicam in Albis? Aliis verbis: feria II praedicta, in qua festum Annuntiationis die sua impeditum recolendum est, impediret ne octavam, si ea in die propria gauderet? Iuxta Decreta antiqua, quae auctores referunt, uti Decretum

2527, 2528, 5370, affirmative respondendum foret; quia eiusmodi Decreta distinguebant inter festum Annuntiationis, qua Titulare, cum feriatione, et idem festum sine feriatione translatum, edicebantque in primo casu celebrandam esse cum octava, in altero sine octava. Consequebatur inde, dictam feriam per se impedire octavam, quam sola feriatio in illa translata permittebat; ergo huiusmodi translatio *per se* impedimentum octavae constituebat.

8. Verum praefata Decreta iam e nova Collectione exularunt, ut distinctio, de qua supra, dici possit sublata. Sit ergo festum Annuntiationis in feriam II post Dominicam translatum cum feriatione,sit translatum sine feriatione, semper admittet, vel semper respuet, qua titulare, octavam. Admittet ergo ne, vel respuet? Censemus, privilegio peculiari secluso, non admittere, sed respuere. Ratio gravissima est, quia impraesenti dictum festum est duplex I classis in universa Ecclesia, et ad solemniora pertinet; hisque haud obstantibus, habeat vel non feriationem in die translata, semper amittit octavam. Ergo a fortiori eadem octava carebit ubi uti Titulus recolatur; quia festa localia minoris sunt dignitatis quam festa universalia solemniora. Nisi velis dicere, S. R. Cong.nem peculiaribus de causis universali solemniorique festo Annuntiationis denegasse octavam, quamvis extra tempus vetitum recolendo: ut proinde eiusmodi denegatio non impediat octavam Annuntiationis qua Titularis. Quidquid sit, pone, eiusmodi festum celebrandum esse in die sua cum octava, hanc ne perderet, dum in feriam II post Dominicam in Albis transferretur? Non credimus; quia feria ista est dies in perpetuum ad tale festum celebrandum destinata, quoties dies 25 Martii impediatur. Insuper esse etiam posset, non prima libera iuxta Rubricas, uti quandoque accidit de S. Ioseph, cuius festum feria IV post eamdem Dominicam reponitur impeditum, sed quae ex voluntate

legislatoris statuitur. Ergo considerari nequit ut dies translata simpliciter, sed potius semel pro semper assignata, quoties propria impeditur. Atqui Decretum super allatum edicit, festum octava gaudens non amittere octavam, si perpetuo transferatur; ergo, ad verae assignationis similitudinem, festum octavam habens, et die sua impeditum, non amittit octavam quoties impeditum in diem perpetuo assignatam reponitur.

9. Nunc ad casum nobis propositum deveniamus. Episcopus Engolismensis ad S. R. Cong.nem referebat (17 Ian. 1887), S. Eparchium Patronum dioecesis (die 1 Iulii) saepe incidere in Dominicam, in qua celebranda erat translata solemnitas Ss. Apostolorum Petri et Pauli, hinc transferendum esse in aliam Dominicam sequentem. Haec Dominica constituit ne impedimentum pro octava celebranda, ut in die sua? Expositis inhaerentes, negative respondemus; quia, ut supra diximus, diei assignatae aequivalet. Quod adeo verum est, ut praefatus Episcopus cum Dubium S. R. Cong.ni proposuerit, responsum habuerit, festum S. Eparchii esse cum octava celebrandum.

10. Verum animadvertendum hic est, non aliam esse rationem conservandae octavae, praeter quam exhibuimus. Adeo ut ratio diei octavae, in quam festum transfertur, non sit illius servandae ratio sufficiens; quod si illa ratio deficeret, festum octavam amitteret. Notum enim est Decretum circa festum octava gaudens, in diem octavam transferendum, aliis infra octavam impeditis, cum tamen de octava sequenti altum silentium faciat. Itaque, iuxta superius citatum Decretum, festum Titularis, unice quia assignatum perpetuo, vel assignatum quotiescumque impeditum in alia die determinata, octavam servat: secus amittit.

11. Certo inferas, cuiuscumque Titularis festum, die sua impeditum, et mox exposito sensu alia die assignatum,

semper servare octavam suam integram, quippe quae cum festo transfertur. Id autem intelligas, sive festum assignetur die octava, sive intra octavam, sive post suam totam octavam. Lex namque Decreti, quam num. 6 retulimus, generalissima est; et ratio conservandae octavae una est tantum, nempe translatio perpetua, sive assignatio. Haec autem esse potest ex lege Rubricarum, vel infra octavam, vel die octava, vel post octavam.

12. Inferas insuper, amplius teneri in praxi non posse doctrinam A Carpo, quae docet: « Si festum habens octavam transferatur, sive per accidens, sive perpetuo, post totam suam octavam, vel celebretur die ipsius octava, illo anno vel semper agendum erit sine octava, nisi ex speciali privilegio aliter fieri oporteat (*Calend. Perp. Cap. II, n. 31*) ». Primo, quia Rubrica loquitur de translatione accidentali et non perpetua. Secundo, quia in praefata generali doctrina includerentur etiam festa patronalia, quae certo constat in translatione perpetua servare octavam. Tertio, quia Decretum in *Panormitana*, quod citat, e nova Collectione exulavit. Bene, e contrario, sequenda eiusdem auctoris doctrina, quam tradit loc. cit. n. 16 super privilegio Tituli circa octavam servandam, quando perpetuo transfertur, quidquid sit de Decreto, quocum doctrinam confirmat.

13. Pro coronide quaerimus: si festum Tituli, etsi assignatum in alia die a sua, servat octavam, eamdem ne servabunt alia festa quaecumque si octava decorentur in die sua, quando perpetuo transferuntur? Affirmative respondere posse censemus ex sequentibus rationibus. *a*) In contrarium adduci Rubrica nequit, quippe quae loquitur tantum de simplici translatione, non de assignatione, quam quaestionis obiectum praesentis constituit. Ergo haec sententia Rubricae non opponitur. *b*) Decretum **4034** ad I, iam relatum et citatum superius, verba tantum facit de

Titulo vel loci Patrono, et tacet de Dedicatione, quam tamen et Decretum includere dubitari non potest, par enim in ea est ius, nisi potius. Ergo ex Titulo et Patrono nominatis non sequitur excludenda esse alia festa, quae ibi non nominantur explicite; sed dicendum potius, Titulum et Patronum nominari potiusquam ad alia festa excludenda, tamquam ad exemplum. *c*) Dices quidem tria festa localia esse aliis, utpote solemniora, praeferenda: ut quod de his praedicatur, extendi ad alia quaecumque nequeat. At reponimus, id verum esse quod attinet occursum et concursum uti et repositionem; sed non constat quod octavam servandam pertinet. Aliunde Rubrica antiqua, quae dicta tria festa privilegiis specialibus donare videbatur, mutata fuit per addita verba: « Idem dicendum de aliis festis primae classis occurrentibus... (*Tit. 8, n. 3*) ». Quod ergo de tribus festis ius habentibus ad octavam dicitur, de aliis quoque dici potest, eodem iure, esto ex privilegio, ad octavam gaudentibus. *d*) Ratio servandae octavae in tribus locorum festis solemnioribus est, quia non convenit, ut festum octava decoratum perpetuo sine octava celebretur, quod die sua impeditum. Atqui haec ratio aequo marte militat pro festis omnibus octavam habentibus; ubi eadem ergo est ratio, eamdem iure supponimus dispositionem iuris. *e*) Mirum in modum traditae sententiae favet expunctio Decreti in *Panormitana* (*16 Sept. 1741 ad 1*): quia in eo denegatur octava Sanctis Francisco Solano et Rosae Viterbiensi perpetuo translatis; sed nequaquam legitur, eos esse Titulos vel Patronos, ut non considerentur uti tales, sed tantum octava decorati. Cum ergo hoc Decretum e nova Collectione exulaverit, nonne inferri potest, octavam quibuscumque festis, eam die propria habentibus, iam esse tribuendam, quanquam alia die in perpetuum celebrentur? Igitur concludere posse merito credimus: Quaecumque festa, sive patronalia, sive non, perpetuo translata octavam servant.

SPECIMEN CALENDARII

UNIVERSALIS ECCLESIAE

PRO ANNO DOMINI 1901.

in quo PASCHA contigit die 7 Aprilis.

Tabella Temporaria.

Litera Dominicalis. . . f.
Aureus Numerus. . . . 2.
Epacta . . . . . X.
Litera Martyrologii . . . k.
Indictio Romana . . . XIV.
Cyclus Solaris . . . . 6.
Dominicae post Epiphaniam 3.
Dominicae post Pentecosten 26.

Festa Mobilia.

Septuagesima . . . 3 Febr.
Dies Cinerum . . . 20 Febr.
Pascha Resurrectionis 7 Apr.
Rogationes, 13, 14, 15 Maii.
Ascensio Domini . 16 Maii.
Pentecostes . . . 26 Maii.
Corpus Christi . . 6 Iunii.
Dominica 1. Adventus 1 Dec.

Quatuor Anni Tempora.

In vere 27 Febr., 1, 2 Mart.
In aestate 29, 31 Maii, 1 Iunii.
In autumno 18, 20, 21 Sept.
In hyeme 18, 20, 21 Dec.

NUPTIAE CELEBRARI POSSUNT

A die 7 Ianuarii ad diem 19 Februarii inclusive, et a die 15 Aprilis ad diem 30 Novembris pariter inclusive.

IANUARIUS

✠ 1. F. 3. CIRCUMCISIONIS D.NI *d. 2 cl.*
2. F. 4. Oct. Stephani *d.* c. octavar.
3. F. 5. Oct. Ioannis *d.* c. oct.
4. F. 6. Oct. Innoc. *d.*
5. S. Vigil. Epiph. *sem.* c. Telesphori.
✠ 6. D. (*vacat*) **Epiphaniae D.ni** *d. 1. cl. cum oct. privil.*

CRAS MANE APERIUNTUR NUPTIAE.

7. F. 2. De 2. die infra oct. *sem.*
8. F. 3. De 3. die infra oct. *sem.*
9. F. 4. De 4. die infra oct. *sem.*
10. F. 5. De 5. die infra oct. *sem.*
11. F. 6. De 6. die infra oct. *sem.* c. Hygini.
12. S. De D. infra oct. *sem.* c. oct.
✠ 13. D. (*vacat*) Oct. Epiph. *d.* — *Inc. Ep. I. ad Corinthios.*
14. F. 2. Hilarii *d.* c. Felicis.
15. F. 3. Pauli I. Erem. *d.* c. Mauri.
16. F. 4. Marcelli I. *sem.* — *Resumuntur Suffragia.*
17. F. 5. Antonii *d.*
18. F. 6. Cathedrae Rom. *d.*

m. c. Pauli Ap. ac Priscae.
19. S. Canuti *sem. ad libit.* c. Marii et Soc.
✠ 20. D. 2. p. Epiph. Nominis Iesu. *d. 2. cl.* c. Fabiani et Sebastiani ac Dom.
21. F. 2. Agnetis *d.*
22. F. 3. Vincentii et Anastasii *sem.* (Romae *d.*) — *Inc. Ep. II. ad Corinthios*, ex Dom. praec.
23. F. 4. Raymundi a Pennaf. *sem.* c. Emerentianae. — *In Stat. Eccl. et Veneto.* Desponsat. B. M. V. *d. m.* c. Ioseph ac Emerentianae.
24. F. 5. Timothei *d.* —
25. F. 6. Convers. Pauli *d. m.* c. Petri Ap.
26. S. Polycarpi *d.*
✠ 27. D. 3. p. Epiph. Io. Chrysostomi *d.*c.Dom. — *Inc. Ep ad Galatas.* — *Romae et aliq. loc.* S. Familiae *d. m.* c. Dom.
28. F. 2. De Dom. 4. p. Epiph.*simp.*ll.hom.(R R.ex 1. Noct. Dom. 2. p. Epiph.) c. Agnetis. — *Romae et aliq. loc.* Io. Chrysostomi (*f. heri*) *d.* c.Agnetis.*Inc.Ep.ad Galatas*, ex Dom. praec. (1)
29. F. 3. Francisci Salesii *d.*
30. F. 4. Martinae *sem.* (Romae *d.*) — **(a)** *Inc.Ep ad Ephesios.* — **(b)** *Inc. Ep. ad Philipp.*ex Dom. IV. p. Epiph.
31. F. 5. Petri Nolasco *d.* **(b)** ll. 1. Noct. 1. *Inc. Ep. ad Coloss.* 2. et 3. *Inc. Ep. I. ad Thessal.* ex feriis 3.et 5.infr.hebd. IV. p. Epiph.

(1) Maioris perspicuitatis gratia diebus 30 et 31 huius mensis, ac 1 et 2 Febr. litera alphabetica postponitur variis officiis: earumdum autem significatio heic subiicitur:
(**a**) Romae et ubi est concessum officium S. Familiae.
(**b**) Ubi non est concessum idem Officium.

FEBRUARIUS.

1. F. 6. Ignatii *d.* — **(b)** *Inc. Ep. II. ad Thessal.* ex Sabb. infr. hebd. IV. p. Epiph.
✠ 2. S. Purificationis B. M. V. *d. 2. cl.* **(a)** 9. l. hom. et com. Dom. IV. p. Epiph.
✠ 3. D. Septuagesimae 2.*cl.* c. Blasii.
4. F. 2. Andreae Corsini *d.*
5. F. 3. Agathae *d.* — *aliq. loc.* Orationis D.ni *d. m.* c. Agathae.
6. F. 4. Titi *d.* (*In Stat. Eccl.* Hyacinthae Mariscott. *d.*) c. Dorotheae.
7. F. 5. Romualdi *d.*
8. F.6.Ioannis de Matha *d.*
9. S. Cyrilli Alexandrini *d* (*In Stat. Eccl.* Titi *ass. ex 6 hui.d.*) c. Apolloniae.
✠ 10. D. Sexagesimae 2. *cl.* c. Scholasticae.
11. F. 2. VII. Fundat. *d.*
12. F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost. — *In Stat. Eccl.* Cyrilli Alexandrini (*ass. ex 9 hui.*) *d.* — *Extra Stat. Eccl. in locis in quib. concess. est Off. Desponsat.* Raymundi a Pennaf. (*ass. ex 23 Ian.*) *sem.* — *aliq. loc.* Comm. Passionis *d. m.* (c. Raymundi a Pennaf. *extra Stat. Eccl. etc.*)
13. F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph. — *In Stat. Eccl.* Raymundi a Pen-

naf. (*ass. ex 23 Ian.*) *sem.*

14. F. 5. Valentini *simp.* — *vel* Vot. Sacram. c. Valentini. — *aliq. loc. in Stat. Eccl.* Cyrilli Alexandrini (*f. 12 hui.*) *d.* c. Valentini.
15. F. 6. Faustini et Iovitae *simp.* — *vel* Vot. Passionis, c. Faustini et Iovitae.
16. S. De B. M. in Sabb. *simp.* — *vel* Vot. Imm. Concept.
17. D. QUINQUAGESIMAE 2. *cl. sem.*
18. F. 2. Simeonis *simp.* — *vel* Vot. Angel. c. Simeonis.
19. F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost. (*Romae* Vot. Petri et Pauli) — *aliq. loc.* Columnae Flagellat. D.ni *d. m.*

CRAS CLAUDUNTUR NUPTIAE.

20. F. 4. CINERUM *simp.*
21. F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacram. (Per tot. Quadrag. in Off. de Ss. dicitur 9. l. de hom. et fit com. feriae).
22. F. 6. Cathedrae Antioch. *d. m.* c. Pauli Ap. — *aliq. loc.* Spineae Coronae *d. m.*
23. S. Vigil. (de qua nihil in Off.) Petri Damiani *d.* (In Miss. 3. or. Vigil.)

INCIPIT PARS VERNA BREVIARII.

24. D. 1. QUADRAG. *1. cl. sem.*
25. F. 2. MATHIAE (*f. heri*) *d. 2. cl.* — *In Italia et ubi est concess.* Margaritae Corton. *sem.*
26. F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost. — *In Italia etc.* MATHIAE (*f. 24 hui.*) *d. 2. cl.* — *aliq. loc. extra Ital. etc.* Cathedrae Antioch. (*f. 22 hui.*) *d. m.* c. Pauli Ap.
27. F. 4. QUAT. TEMP. De ea — *vel* Vot. Ioseph — *aliq. loc. in Italia etc.* Cathedrae Antioch. (*f. 22 hui.*) *d. m.* c. Pauli Ap.
28. F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacram.

MARTIUS

1. F. 6. QUAT. TEMP. De ea — *vel.* Vot. Passionis. — *aliq. loc.* Lanceae et Clavor. *d. m.*
2. S. QUAT. TEMP. De eo — *vel* Vot Imm. Concept.
3. D. 2. QUADRAG. 2. *cl. sem.*
4. F. 2. Casimiri *sem.* c. Lucii I.
5. F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost. (*Romae* Vot. Petri et Pauli)
6. F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph.
7. F. 5. Thomae Aquin. *d.* c. Perpetuae et Felicitatis.
8. F. 6. Ioannis de Deo *d.* — *aliq. loc.* Sindonis D.ni *d. m.* c. Ioannis de Deo.
9. S. Franciscae Romanae *d.*
10. D. 3 QUADRAG. 2. *cl. sem.* c. XL. Mm.
11. F. 2. De ea — *vel* Vot. Angel.
12. F. 3. Gregorii Magni *d.*
13. F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph.
14. F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacram.

15. F. 6. De ea — *vel* Vot. Passionis — *aliq. loc.* Quinque Vulnerum D.ni *d. m.*
16. S. De eo — *vel* Vot. Imm. Concept.
✠ 17. D. 4. QUADRAG. 2. *cl. sem.* c. Patritii.
18. F. 2. Cyrilli Hierosol. *d.* — *aliq. loc.* Gabrielis *d. m.*
✠ 19. F. 3. **Ioseph** *d. 1. cl.*
20. F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph. — *aliq. loc.* Cyrilli Hierosol. (*ass. ex 18 hui.*) *d.*
21. F. 5. Benedicti *d. m.*
22. F. 6. De ea — *vel* Vot. Passionis. — *In Italia.* Catharinae Fliscae Adurnae *d.* — *aliq. loc.* Pretiosiss.Sanguinis D.ni *d. m.* (c. Catharinae *in Italia tant.*)
23. S. De eo — *vel* Vot. Imm. Concept.
✠ 24. D. PASSIONIS *1.cl. sem.*
✠ 25. F. 2. **Annuntiationis B. M. V.** *d. 1. cl.* « Cessant Suffragia et Off. vot. »
26. F. 3. De ea.
27. F. 4. Ioannis Damasceni *d.*
28. F. 5. Ioannis a Capistrano *sem.*
29. F. 6. VII. Dolorum B. M. V. *d. m.*
30. S. De eo.
✠ 31. D. PALMARUM. *1. cl. sem.*

APRILIS

1. F. 2. mai. hebd.De ea.
2. F. 3. mai. hebd. De ea c. Francisci a Paula.
3. F. 4. mai. hebd. De ea.
4. F. 5. in COENA DOMINI *d. 1. cl.*
5. F. 6. in PARASCEVE *d. 1. cl.* (nihil de Vincentio Ferreri)
6. SAB. SANCTUM *d. 1. cl.*
✠ 7. D. **Pascha Resurrectionis** *d. 1. cl. cum oct.*
✠ 8. F. 2. DE EA *d. 1. cl.*
✠ 9. F. 3. DE EA *d. 1. cl.*
10. F. 4. De ea *sem.*
11. F. 5. De ea *sem.*
12. F. 6. De ea *sem.*
13. S. De eo *sem.* c. Hermenegildi.
✠ 14. D. IN ALBIS *1. cl.* De ea *d.* c. Iustini ac Tiburtii et Soc.

CRAS MANE APERIUNTUR NUPTIAE.

15. F. 2. Isidori (*f. 4 hui.*) *d.*
16. F. 3. Leonis I. (*f. 11 hui.*) *d.*
17. F. 4. Aniceti *simp.* — *vel* Vot Ioseph, c. Aniceti — *Inc. lib. Act. Ap.* ex fer. 2. praec. « Suffr. de Cruce ».
18. F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacram. (In Laud. et Vesp.omitt. com. de Cruce, *et ita die seq.*)
19. F. 6. De ea — *vel* Vot. Passionis.
20. S. De B. M. in Sabb. *simp.* — *vel* Vot. Imm. Concept.
✠ 21. D. 2. p. Pascha. Anselmi *d.* c. Dom.
22. F. 2. Soteris et Caii *sem.*
23. F. 3. Georgii *sem.*
24. F. 4. Fidelis a Sigmaringa *d.*
25. F. 5. MARCI *d. 2. cl.*
26. F. 6. Cleti et Marcellini *sem.* — *aliq. loc.* B. M. V. de Bono Consilio *d. m.*
27. S. De B. M. in Sabb. *simp.* — *vel* Vot. Imm. Concept. — *aliq loc.* Cle

ti et Marcellini (*ass. ex 26 hui.*) *sem.*

✠ 28. D. 3. p. Pascha. Patrocinii Ioseph *d.* 2. *cl.* c. Pauli a Cruce et Dom. (ac Vitalis in Laud. et Miss. priv.)

29. F. 2. Petri *d.*—*Inc. lib. Apocal.* ex Dom. praec.

30. F. 3. Catharinae Sen. *d.* (Romae *d.* 2. *cl.*)

MAIUS

† 1. F. 4. Philippi et Iacobi *d.* 2. *cl.*

2. F. 5. Athanasii *d.*

† 3. F. 6. Inventio Crucis *d.* 2. *cl.* c. Alexandri I. et Soc. in Laud. et Miss. priv.

4. S. Monicae *d.*

✠ 5. D. 4. p. Pascha. Pii V. *d.* c. Dom. — *Inc. Ep. Iacobi.*

6. F. 2. Ioannis ante P. L. *d. m.*

7. F. 3. Stanislai *d.*

8. F. 4. Appar. Michaëlis Archang. *d. m.*

9. F.5.Gregorii Nazianz. *d.*

10. F. 6. Antonini *d.* c. Gordiani et Epimachi.

11. S. De B. M. in Sabb. *simp.* — *vel* Vot. Imm. Concept.

✠ 12. D. 5. p. Pascha. De ea *sem.* c. Nerei et Soc. — *Inc. Ep. I. Petri.*

13. F. 2. Rogat. De ea — *vel* Vot.Angel.c.fer.(In 2. Noct. loco ant. *Ascendit* dic. ant. *Immittet.*)

14. F. 3. Rogat. Bonifacii *simp.* (c. fer. in Miss. tant.) — *vel* Vot. Apost. (*Romae* Vot.Petri et Pauli) c. Bonifacii (In Miss. 3. or. fer.)

15. F. 4. Rogat. Vigil. Ascens. De ea — *vel* Vot. Ioseph, c. Vigil. (In Miss. de Vigil. 2. or. Rogat.— In Miss. de S. Ioseph. 2. or. Vigil. 3. Rogat.)

✠ 16. F. 5. **Ascensio Domini** *d. 1. cl. cum oct.* (nihil de Ubaldo *vel in aliq. loc.* de Ioanne Nepomuc.)

17. F. 6. Paschalis Baylon *d.* c. oct. — *Inc. Ep. II. Petri.*

18. S. Venantii *d.* c. oct.

✠ 19. D. infra oct. Petri Caelestini *d.* c. Dom., oct. ac Pudentianae. — *Inc. Ep. I. Ioannis.*

20. F. 2. Bernardini Sen. *sem.* c. oct.

21. F. 3. De oct. *sem.* — *In Italia.* Felicis a Cantalicio *sem.* (*aliq. loc. extra Ital.* Ubaldi *ass. ex 16 hui. sem.*) c. oct.

22. F. 4. De oct. *sem.* — *aliq. loc. in Italia* Ubaldi (*ass. ex 16 hui.*) *sem.* c. oct. — *Inc. Ep. II. Ioannis.*

23. F. 5. Oct. Ascens. *d.*

24. F. 6. De ea *sem.* — *Inc. Ep. III. Ioannis.* — *In Stat. Eccl.* B. M. V. Auxil. Christ. *d. m.* c. fer. (ex Laud. Dom. praec.)

25. S. Vigil. Pent.De ea *sem.* c. (*cum 9. l. ex 3 una*) Gregorii VII. ac Urbani I. in Laud. tant. — *Inc. Ep. Iudae.* — *In Stat. Eccl.* ll. 1. Noct. 1. *Inc. Ep. III. Ioannis.* ex fer. 6. praec. 2. et 3. *Inc. Ep. Iudae.* — « Cessant Octavae ».

✠ 26. D. **Pentecostes** *d. 1. cl. cum oct. priril.* (nihil de Philippo Neri ac de Eleutherio).

† 27. F. 2. De ea *d. 1. cl.* (nihil de Ioanne I.)
† 28. F. 3. De ea *d. 1. cl.* (nihil de Augustino).
29. F. 4. Quat. Temp. De ea *sem.* c. Mariae Magd. de Pazzis.
30. F. 5. De ea *sem.* c. Felicis I. — *In Stat. Eccl.* c. Ferdinandi III. ac Felicis I.
31. F. 6. Quat. Temp. De ea *sem.* c. Angelae Merici ac Petronillae.

IUNIUS

1. S. Quat. Temp. De ea *sem.* Incipit pars aestiva breviarii.
✠ 2. D. 1. p. Pent. *1. cl.* Trinitatis *d. 2. cl.* c. Dom. (ac Marcellini et Soc. in Laud. et Miss. priv.)
3. F. 2. Bedae (*f. 27 Maii*) *d.* — *Romae* Philippi Neri (*f. 26 Maii*) *d. 2. cl.*
4. F. 3. Francisci Caracciolo *d.* — *Inc. lib. I. Regum*, ex fer. 2. praec.
5. F. 4. Bonifacii *d.*
✠ 6. F. 5. **Corporis Christi** *d. 1. cl. cum oct. privil.* — *aliq. loc. cum oct. privil. ut Epiph.* (nihil de Norberto).
7. F. 6. De oct. *sem.*
8. S. De oct. *sem.*
✠ 9. D. infra oct. 2. p. Pent. De ea *sem.* c. oct. ac (*sine l.*) Primi et Feliciani.
10. F. 2. De oct. *sem.* c. (*sine l.*) Margaritae.
11. F. 3. Barnabae *d. m.* c. oct.
12. F. 4. Ioannis a S. Facundo *d.* c. oct. ac Basilidis et Soc. (*cum cor. 9. l.*)
13. F. 5. Oct. Corporis Christi *d.* c. (*sine l.*) Antonii.
14. F. 6. **Cordis Iesu** *d. 1. cl.*
15. S. Basilii (*f. heri*) *d.* (*Romae.* Bedae *f. 27 Maii. d.* — *aliq. loc.* Barnabae *f. 11 hui. d. m.*) c. Viti et Soc.
✠ 16. D. 3. p. Pent. De ea *sem.*
17. F. 2. De ea — *vel* Vot. Angel. — *Romae et aliq. loc.* Basilii (*f. 14 hui.*) *d.*
18. F. 3. Marci et Marcelliani *simp.* — *vel* Vot. Apost. (*Romae* Vot. Petri et Pauli) c. Marci et Marcelliani.
19. F. 4. Iulianae de Falconeriis *d.* c. Gervasii et Protasii.
20. F. 5. Silverii *simp.* — *vel* Vot. Sacram. c. Silverii.
21. F. 6. Aloisii *d.*
22. S. Vigil. De ea, c. Paulini. — *vel* Vot. Imm. Concept. c. Vigil. et Paulini.
✠ 23. D. 4. p. Pent. De ea *sem.*
✠ 24. F. 2 **Nativ. Ioannis Bapt.** *d. 1. cl cum oct.*
25. F. 3. Gulielmi *d.* (*Romae et aliq. loc.* Gallicani *d.*) c. oct.
26. F. 4. Ioannis et Pauli *d.* c. oct.
27. F. 5. De oct. *sem.* — *Romae et aliq. loc.* Gulielmi (*ass. ex 25 hui.*) *d.* c. oct.
28. F. 6. Vigil. Leonis II. *sem.* c. oct. et Vigil.
✠ 29. S. **Petri et Pauli** *d. 1. cl. cum oct.* — *aliq loc.* c. omn. App.
✠ 30. D. 5. p. Pent. Comm. Pauli *d. m.* c. Petri Ap.. Dom. ac oct.

IULIUS

1. F. 2. Oct. Ioann. *d.* c. oct. App. — (Hymn. Vesp. coniung. cum hymn. Mat.) — *Inc. lib. 2. Regum*, ex Dom. praec.
2. F. 3. Visitationis B. M. V. *d. 2. cl.* c. (oct. App. *Romae tant.* ac) Processi et Martiniani in Laud. et Miss. priv.
3. F. 4. De oct. *sem.*
4. F. 5. De oct. *sem.*
5. F. 6. Antonii M. Zaccaria *d.* c. oct.
6. S. Oct. App. *d.*
7. D. 6. p. Pent. Pretiosiss. Sanguinis D.ni *d. 2. cl.* c. Cyrilli et Methodii ac Dom. — *Romae* addit. c. oct. Ss. App.
8. F. 2. Elisabeth *sem*
9. F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost. — *Romae.* Prodigior. B. M. V. *d. m.* — *In Stat. Eccl.* Veronicae de Iulianis *d.*
10. F. 4. Sept. Fratr. *sem.*
11. F. 5. Pii I. *simp.* — *vel* Vot. Sacram. c. Pii I. — *Romae.* Veronicae de Iulianis (*ass. ex 9 hui.*) *d.* c. Pii I.
12. F. 6. Ioannis Gualberti *d.* c. Naboris et Felicis.
13. S. Anacleti *sem.*
14. D. 7. p. Pent. Bonaventurae *d.* c. Dom.
15. F. 2. Henrici *sem.* — *Inc. lib. 3. Regum*, ex Dom. praec.
16. F. 3. B. M. V. de Monte Carmelo *d. m*
17. F. 4. Alexii *sem.* (Romae *d.*)
18. F. 5. Camilli *d.* c. Symphorosae et Filiorum.
19. F. 6. Vincentii a Paulo *d.*
20. S. Hieronymi Aemiliani *d.* c. Margaritae.
21. D. 8. p. Pent. De ea *sem.* c. Praxedis.
22. F. 2. Mariae Magd. *d.*
23. F. 3. Apollinaris *d.* c. Liborii.
24. F. 4. Vigil. De ea, c. Christinae — *vel* Vot. Ioseph. c. Vigil. et Christinae.
25. F. 5. Iacobi *d. 2. cl.* c. Christophori in Laud. et Miss. priv.
26. F. 6. Annae *d. 2. cl.*
27. S. De B. M. in Sabb. *simp.* (*vel* Vot. Imm. Concept.) c. Pantaleonis.
28. D. 9. p. Pent. De ea *sem.* c. Nazarii et Soc. — *Inc. lib. IV. Regum.*
29. F. 2. Marthae *sem.* c. Felicis II. et Soc.
30. F. 3. Abdon et Sennen *simp.* — *vel* Vot. Apost. (*Romae.* Vot. Petri et Pauli) c. Abdon et Sennen.
31. F. 4. Ignatii de Loiola *d.*

AUGUSTUS

1. F. 5. Petri ad Vincula *d. m.* c. Pauli Ap. ac Machabaeorum.
2. F. 6. Alphonsi *d.* c. Stephani I.
3. S. Invent. Stephani *sem.*
4. D. 10. p. Pent. 1. Aug. Dominici *d. m.* c. Dom.
5. F. 2. Dedic. B. M. V. ad Nives *d. m.*
6. F. 3. Transfig. D.ni *d. m.* c. Xysti II. et Soc.
7. F. 4. Caietani *d.* c. Donati. — *Inc. Parab. Salom.* ex Dom. praec.
8. F. 5. Cyriaci et Soc. *sem.*
9. F. 6. Vigil. De ea (R̃R̃. ex 1. Noct. Dom. 1. hui.)

c. Romani — *vel* Vot. Passionis, c. Vigil. et Romani.

† 10. S. Laurentii *d. 2. cl. cum oct.*

✠ 11. D. 11. p. Pent. 2. Aug. De ea *sem.* c. oct. ac Tiburtii et Susannae. — *Inc. lib. Ecclesiastes.*

12. F. 2. Clarae *d.* c. oct.

13. F. 3. De oct. *sem.* c. Hippolyti et Cassiani.

14. F. 4. Vigil. De oct. *sem.* c. Vigil. ac Eusebii. Miss. Vigil. c. oct. ac Eusebii.

✠ 15. F. 5. **Assumptionis B. M. V.** *d. 1. cl. cum oct.*

16. F. 6. Hyacinthi *d.* (*aliq. loc.* Rochi *d.*) c. 2 oct.

17. S. Oct. Laurentii *d.* c. oct. Assumpt.

✠ 18. D. 12. p. Pent. 3. Aug. Ioachim *d. 2. cl.* c. (*aliq. loc.* Hyacinthi *ass. ex 16 hui.*) Dom. (ac Agapiti in Laud. et Miss. priv.)

19. F. 2. De oct. *sem.*

20. F. 3. Bernardi *d.* c. oct. — *Inc. lib. Sapientiae*, ex Dom. praec.

21. F. 4. Io. Franc. Fremiot de Chantal. *d.* c. oct.

22. F. 5. Oct. Assumpt. *d.* c. Timothei et Soc.

23. F. 6. Vigil. Philippi Benitii *d.* c. Vigil. (*except. Roma*).

† 24. S. Bartholomaei *d. 2. cl.* — *Romae.* Vigil. De ea — *vel* Vot. Imm. Concept. c. Vigil.

✠ 25. D. 13. p. Pent. 4. Aug. De ea *sem.* c. Ludovici. — *In Gallia.* Ludovici *d.* c. Dom. — *Inc. lib. Ecclesiastici.* — *Romae.* Bartholomaei *d. 2. cl.* c. Dom. — *aliq. loc.* Purissimi Cordis B. M. V. *d. m.* c. Dom. et Ludovici.

26. F. 2. Zephyrini *simp.* — *vel* Vot. Angel. c. Zephyrini. — *Romae et aliq. loc. Inc. lib. Ecclesiastici*, ex Dom. praec.

27. F. 3. Ioseph Calasanctii *d.*

28. F. 4. Augustini *d.* c. Hermetis.

29. F. 5. Decollat. Ioannis Bapt. *d. m.* c. Sabinae.

30. F. 6. Rosae Limanae *d.* c. Felicis et Adaucti.

31. S. Raymundi Nonnati *d.* (Hoc anno omitt. Dom. 5. Aug.)

SEPTEMBER

Incipit pars autumnalis Breviarii.

✠ 1. D. 14. p. Pent. 1. Sept. De ea *sem.* c. Aegidii et XII. Fratr. — *Inc. lib. Iob.*

2. F. 2. Stephani *sem.*

3. F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost. (*Romae* Vot. Petri et Pauli).

4. F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph. — *In Stat. Eccl.* Rosae a Viterbio *d.*

5. F. 5. Laurentii Iustiniani *sem.*

6. F. 6. De ea — *vel* Vot. Passionis.

7. S. De B.M. in Sabb. *simp.* — *vel* Vot. Imm. Concept.

✠ 8. D. 15. p. Pent. 2. Sept. Nativitatis B. M. V. *d. 2. cl. cum oct.* c. Dom. (ac Hadriani in Laud. et Miss. priv.)

9. F. 2. De oct. *sem.* c. Gorgonii.

10. F. 3. Nicolai a Tolentino *d.* c. oct.

11. F. 4. De oct. *sem.* c. Proti et Hyacinthi.

12. F. 5. De oct. *sem.*
13. F. 6. De oct. *sem.*
14. S. Exaltat. Crucis *d. m.* c. oct.
✠ 15. D. 16. p. Pent. 3. Sept. SS. Nominis B. M. V. *d. m.* c. Dom. ac Nicomedis.
16. F. 2. Cornelii et Cypriani *sem.* c. Euphemiae et Soc.— *Inc. lib. Tobiae,* ex Dom. praec.
17. F. 3. Impressio Stigmat. Francisci *d.*
18. F. 4. Quat. Temp. Iosephi a Cupertino *d.* c. fer.
19. F. 5. Ianuarii et Soc. *d.*
20. F. 6. Quat. Temp. Vigil. (de qua nihil in Off.) Eustachii et Soc. *d.* c. fer. (In Miss. 3. or. Vigil.)
✝ 21. S. Quat. Temp. Matthaei *d. 2. cl.* c. fer.
✠ 22. D. 17. p. Pent. 4. Sept. VII. Dolorum B. M. V. *d. m.* c. Thomae a Villanova, Dom. ac Mauritii et Soc.
23. F. 2. Lini *sem.*c.Theclae. — *Inc. lib. Iudith,* ex Dom. praec.
24. F. 3. B. M. V. de Mercede *d. m.*
25. F. 4. De ea (R̂R̂. ex 1 Noct. Dom. praec.) — *vel* Vot. Ioseph.
26. F. 5. Cypriani et Iustinae *simp.*— *vel* Vot. Sacram. c. Cypriani et Iustinae.—*Inc. lib. Esther,* ex Dom. V. Sept.
27. F. 6. Cosmae et Damiani *sem.*
28. S. Wenceslai *sem.*
✠ 29. D. 18. p. Pent. 1. Oct. Dedic. Michaëlis Archang. *d. 2. cl.* c. Dom.
30. F. 2. Hieronymi *d.*

OCTOBER.

1. F. 3. Remigii *sem. ad libit. vel simpl. de praecepto* (in Gallia *d.*) — *Inc. lib. I. Machab.* ex Dom. praec.
2. F. 4. Angelorum Custodum *d. m.*
3. F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacram.
4. F. 6. Francisci *d. m.*
5. S. De B. M. in Sabb. *simp.* (*vel* Vot. Imm.Concept.) c. Placidi et Soc. — *Romae.* Gallae *d.* c. Placidi et Soc.
✠ 6. D. 19. p. Pent. 2. Oct. Rosarii B. M. V. *d. 2. cl.* c. Brunonis ac Dom.
7. F. 2. Marci *simp.* c. Sergii et Soc. — *vel* Vot. Angel. c. Marci ac Sergii et Soc.
8. F. 3. Birgittae *d.*
9. F. 4. Dionysii et Soc. *sem.*
10. F. 5. Francisci Borgia *sem.*
11. F. 6. De ea — *vel* Vot. Passionis.
12. S. De B. M. in Sabb. *simp.*—*vel* Vot.Imm.Concept.
✠ 13. D. 20. p. Pent. 3. Oct. De ea *sem.* c. Eduardi. — *aliq. loc.* Maternitatis B. M. V. *d. m.* c. Dom. ac Eduardi.
14. F. 2. Callisti I. *d.*
15. F. 3. Teresiae *d.*
16. F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph.
17. F. 5. Hedwigis *sem.*
18. F. 6. Lucae *d. 2. cl.*
19. S. Petri de Alcant. *d.*
✠ 20. D. 21. p. Pent. 4. Oct.

Ioannis Cantii *d.* c. Dom. — *Inc. lib. II. Machab.* — *aliq. loc.* Puritatis B. M. V. *d. m.* c. Ioannis Cantii ac Dom.

21. F. 2. Hilarionis *simp.* c. Ursulae et Soc. — *vel* Vot. Angel. c. Hilarionis ac Ursulae et Soc. — *aliq. loc. Inc. lib. II. Machab.* ex Dom. praec.
22. F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost. (*Romae* Vot. Petri et Pauli).
23. F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph.—*Romae.* Redemptoris *d. m.*
24. F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacram. — *aliq. loc.* Raphaëlis Archang. *d. m.*
25. F. 6. Chrysanthi et Dariae *simp.* — *vel* Vot. Passionis, c. Chrysanthi et Dariae.
26. S. Vigil. De ea, c. Evaristi — *vel* Vot.Imm.Concept. c. Vigil. ac Evaristi.

✠ 27. D. 22. p. Pent. 5. Oct. De ea *sem.* — *Igitur Eleazarus.*

† 28. F. 2. Simonis et Iudae *d. 2. cl.*

29. F. 3. De ea (R̃R̃. fer. 3.) — *vel* Vot. Apost. (*Romae* Vot. Petri et Pauli) — *Mortuo itaque*, ex fer. 2. praec.
30. F. 4. De ea (R̃R̃. fer. 4.) — *vel* Vot. Ioseph — *Antiochus autem*, ex fer. 3. praec.
31. F. 5. Vigil. De ea, — *vel* Vot. Sacram. c. Vigil.

NOVEMBER.

✠ 1. F. 6. **Omnium Sanctorum.** *d. 1. cl. cum oct.*
2. S. De oct. *sem.* Comm. omn. Defunct. *d.*

✠ 3. D. 23. p. Pent. 1. Nov. De ea *sem.* c. oct.— *Inc. lib. Ezechielis.*
4. F. 2. Caroli *d.* c. oct. ac Vitalis et Agricolae.
5. F. 3. De oct. *sem.*
6. F. 4. De oct. *sem.*
7. F. 5. De oct. *sem.*
8. F. 6. Oct. omnium Ss. *d.* c. Quatuor Coronat.
9. S. Dedic. Basilic. Salvatoris *d. m.* c. Theodori (Hoc anno omitt. Dom. 2. Nov.).

✠ 10. D. 24. p. Pent. 3. Nov. 5. p. Epiph. Andreae Avellini *d.* c. Dom. ac Triphonis et Soc. — *Inc. lib. Danielis.* — *In Stat. Eccl.* Patrocinii B. M. V. *d. m.* c. Andreae Avellini, Dom. ac Triphonis et Soc.
11. F. 2. Martini *d.* c. Mennae.
12. F. 3. Martini I. *sem.* — *In Stat. Eccl. Inc. lib. Danielis*, ex Dom. praec.
13. F. 4. Didaci *sem.* — *In Italia.*Stanislai Kostka *d.*
14. F. 5. Iosaphat *d.*
15. F. 6. Gertrudis *d.*
16. S. De B. M. in Sabb. — *vel* Vot. Imm. Concept. — *In Italia* Didaci (*ass. ex 13 hui.*) *sem.*

✠ 17. D. 25. p. Pent. 4. Nov. 6. p. Epiph. De ea *sem.* c. Gregorii Thaum.—*Romae.* Gregorii Thaum. *d.* c. Dom. — *Inc. lib. Osee.*
18. F. 2. Dedic. Basilic. Petri et Pauli *d. m.*
19. F. 3. Elisabeth *d.* c. Pontiani. — *Inc. Ioël.*
20. F. 4. Felicis de Valois

d. — ll. 1. Noct. 1. *Inc. Amos*, ex fer. 5. seq., 2. *Inc. Abdias*, ex fer. 6. seq.3.,*Inc.Ionas*, ex Sabb. seq.

21. F. 5. Praesentationis B. M. V. *d. m.*
22. F. 6. Caeciliae *d.*
23. S. Clementis I. *d.* c. Felicitatis.
✠ 24. D. 26. ult. p. Pent. 5. Nov. Ioannis a Cruce *d.* c. Dom. ac Chrysogoni. — *Inc. Michaeas.*
25. F. 2. Catharinae *d.* — *Inc Nahum.*
26. F. 3. Silvestri *d.* c. Petri Alexandrini — *Inc. Habacuc.*
27. F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph.—*Inc. Sophonias.*
28. F. 5. De ea— ll.1.*Inc.Aggaeus*, 2. *Inc. Zacharias*, ex fer. 6. seq. 3. *Inc. Malachias*, ex Sabb. seq. — *vel* Vot. Sacram. *Inc. Aggaeus* tant.
29. F. 6. Vigil. De ea, ll. hom. c. Saturnini — *vel* Vot. Passionis, c. Vigil. et Saturnini—ll. 1. Noct 1. et 2. *Inc. Zacharias*, 3. *Inc. Malachias*, ex Sabb. seq.
℣ 30. S. Andreae *d.* 2. *cl.*

DECEMBER

Incipit pars hyemalis Breviarii.
Cras clauduntur Nuptiae.

✠ 1. D. 1. Adv. *1. cl. sem.* « Cessant Suffragia ».
2. F. 2.Bibianae *sem.*(Dieb. fer. per tot. Adv. in Off. 9. Lect. fit com. fer.)
3. F.3 Francisci Xaverii *d.*
4. F. 4. Petri Chrysologi *d.* c. Barbarae.
5. F. 5. De ea, c. Sabbae — *vel* Vot. Sacram. c. Sabbae.
6. F. 6. Nicolai *d.*
7. S. Vigil. (de qua nihil in Off.) Ambrosii *d.* (In Miss. 3. or. ac Ev. Vigil.)
✠ 8. D. 2. Adv. 2. *cl.* **Imm. Concept. B. M. V.** *d. 1. cl. cum oct.* c. Dom.
9. F. 2. De oct. *sem.*
10. F. 3. De oct. *sem.* c. Melchiadis — *In Stat. Eccl., Veneto et aliq. loc.* Translat. Almae Domus B. M. V. *d. m.* (In regione Picena *d. 1. cl. cum oct. quae suspendit. usq. ad diem 16, et terminat ad Non. eiusd. diei*) c. Melchiadis *extra reg. Picen. tant.*
11. F. 4. Damasi I. *sem.* c. oct.
12. F. 5. De oct. *sem.*
13. F. 6 Luciae *d.* c. oct.
14. S. De oct. *sem.*
✠ 15. D. 3. Adv. 2. *cl. sem.* c. oct. Imm. Concept.
16. F. 2. Eusebii *sem.* (*In reg. Picena* c.oct. Translat. Domus Lauret. in Laud. et Miss. tant.)
17. F. 3. De ea « Cessant Oft. votiv. » *O Sapientia.*
18. F. 4. Quat. Temp. De ea.—*In Stat.Eccl., Veneto et Hispano.*Exspect.Part. B. M. V. *d. m.* ll. 3. Nact. hom. fer. cum R$^{\text{us}}$ B$^{\text{is}}$. de festo. (In fine Miss. dic. Ev. consuet. S. Ioannis). — *O Adonai.*
19. F. 5. De ea — *O Radix.*
20. F. 6. Quat. Temp. Vigil. (de qua nihil in Off.) De fer. (sine c. Vigil.) In Miss. 2. or. Vigil. — *O Clavis.*

✝ 21. S. Quat. Temp. Thomae *d. 2. cl. — O Oriens.*
✠ 22. D.4 Adv. *sem. — O Rex.*
23. F. 2. De ea — *O Emmanuel.*
24. F. 3. Vigil.. Nativ. D.ni De ea *simp.* Ad Laud. et deinc. *d.*
✠ 25. F. 4. **Nativitatis D. N. I. C.** *d. 1. cl. cum oct. priv.*
✝ 26. F. 5. Stephani *d. 2. cl. cum oct.* c. oct. Nativ. — *aliq. loc.* c. omn. Mm. et oct. Nativ.
✝ 27. F. 6. (Romae ✠) Ioannis *d. 2: cl. cum oct.* c. octavar.
✝ 28. S. Innocentium *d. 2. cl. cum oct.* c. octavar.
✠ 29. D. infra oct. Nativ. Thomae Cantuar. *d.* c. Dom. et octavar. (Vesp.de Nat. a cap. de S. Thoma, com. oct. Nativ., Dom. et aliar. oct.)
30. F. 2. De infra oct. Nativ. *sem.* c. aliar. octavar. — *Inc. Ep. ad Romanos.*
✝ 31. F. 3. Silvestri I. *d.* c. octavar. in Laud. et Miss.

Hodie et Anno insequenti 1902 litera Martyrologii erit **B.** *magna.*

QUAESTIO

Super qualitate Calendarii

in quadam abbatiali et parochiali Ecclesia adhibendi.

Ecclesia quaedam abbatialis est simul et parochialis, et Sancta Sedes Monasterio parochiam esse perpetuo adligatam, Pio PP. IX Sa : Me : regnante, Apostolicis declaravit Litteris, specialique privilegio statutum est Kalendarium monasticum ab antedicta parochia accipiendum esse et observandum.

Cum res ecclesiasticae valde in Gallia diebus istis perturbentur, ad precavendas certas ambages, RR.mus Praelatus concordatum iniit cum Episcopo dioecesano, iuxta quem tractatum parochia nunc administratur et regitur a Sacerdote de clero saeculari adsumpto, et

Parochi titulo condecorato, qui Sacerdos a Vicario quodam adiuvatur. Ecclesia praefata non tantum servat abbatialem dignitatem, sed etiam usibus monachalibus inservit. Nam in illa quotidie officium solemne Monachi decantant et Missam, Praelatus loci thronum, iuxta antiqua privilegia, a parte Evangelii conlocatum retinet ; diebus verum dominicis, ut in Concordato notatur, in ea Basilica divinis a modulationibus Monachi se abstinent sacrasque functiones a Clero parochiali tantum absolvuntur (nisi ad illius onera sublevanda aliquis ex Monachorum gremio deputetur, ut unam ex Missis parochialibus legat aut decantet). Diebus usualibus, eiusdem cleri sacerdotes missam in Ecclesia recitant, caeremoniasque funerales et alia huiuscemodi peragunt.

Ex qua positione sequentes proveniunt quaestiones :

1. Quod Kalendarium diebus usualibus sequi debet clerus saecularis ? — Quod diebus dominicis et feriatis ?

2. Diebus quibus a Monachis celebratur festum 1.ae classis, potestne clerus saecularis Missam de Requie celebrare corpore praesente ?

3. Quid de sacerdotibus titulo hospitii apud Monachos commorantibus ?

4. Quid de colore paramentorum altaris ? nam licet Monachi diebus feriatis a divinis laudibus in Ecclesiis decantandis abstineant, nihilominus his etiam diebus, Matutinum, Laudes, Primam et Completorium in basilica celebrant, oratorio tamen interno contenti ad functiones matutinas et vespertinas, cum horis adiacentibus, peragendas.

DISCUSSIO.

I. Praemittimus, quaestionem propositam esse maxime implicatam, non quidem quod quaesita singula resolvenda attinet, sed quod attinet Calendarium a Parocho sequendum, quod totius quaestionis est cardo ; idque ratione inconvenientium, quae ex solutione, quaecumque ea sit, derivant. Namque aut ita resolvitur, ut Parochus sequi debeat Calendarium Dioecesis ; et tunc duo habebuntur in praefata Basilica Calendaria, quorum usum approbari S. R. C. non sinit. Aut ita resolvitur ut Calendarium Parochus sequi debeat Monachorum; et tunc duplex oritur gravior quaestio, secundum quod aut illud

sequetur tantum pro Missa, aut pro Missa et officio. Si primum, Parochus cogetur ut plurimum Missam facere, etiam in cantu, si habenda sit, fere semper diversam ab officio recitato : consequenter Ecclesiam parochialem, ipsi concreditam uti talem, considerare fere semper debebit uti alienam. Si alterum, Parochus fortasse id ageret, quod ipsi non est licitum ; unde enim illi potestas sequendi, quoad officium, monasticum Calendarium, quod circa officium diversi a Romano est ritus ? Quidquid tamen sit quaestionem resolvendam aggredimur, iure primum, dein S. R. Cong.ne, atque ipso tandem ratiocinio ducibus.

II. Inquirere primo liceat, an Basilica ad Monasterium, an ad Parochum pertineat. Responsio certa nullius est negotii : Basilica ad Monasterium pertinet. Namque abbatialis est, et Abbas est Monasterii Superior, seu Communitatis Monachorum. Consequenter Basilica ad Monachos pertinet. Oppones quidem, illam et parochialem esse, unde sequitur, et ad Parochum pertinere. Sed notandum, eamdem Basilicam, quae Abbatialis est, parochialem esse, quatenus illi cura adnexa est animarum. Non sunt ergo duae, sed una Ecclesia, quae ad Monasterium pertinet. Praeterea, quod probe animadvertas, et apprime perpendas, non est primo paroecia, sed Abbatia ; huic enim ex dispositione Pii Pp. IX, peculiarique privilegio, perpetuo adnexa fuit et adligata paroecia, et non e contra. Consequenter Abbatia constituit *principale,* paroecia *accessorium,* illa quid primarii, haec quid secundarii. Sed vero accessorium sequi fas est naturam principalis ex regula iuris, et secundarium praeponi non potest primario. Ergo Ecclesia, in casu, sive uti abbatialis consideretur, sive ut parochialis, ad Monachos pertinet, et Monachorum est. Tertio eiusmodi Ecclesia usibus Monachorum inservit, Monachi in ea officium in choro quotidie dicunt, Missamque conventualem cantant, prouti eorum Instituti natura fert ; ergo totum vel praecipuum in illa ut in propria, cultum exercent, quod liturgicam proprietatem Monachorum et ostendit et demonstrat. Hinc quale erit calendarium in dicta Ecclesia adhibendum, nisi Monachorum proprium ? Profecto alio calendario uti ipsis omnino interdicitur adeo, ut, non solum possint, sed plane debeant proprium calendarium sequi.

III. At oppones : Esto quod dictum est, circa liturgicam Ecclesiae proprietatem ad monachalem clerum pertinentem ; sed infi-

ciandum non est, eamdem ad clerum quoque saecularem pertinere. Namque paroecia ad Parochum spectat, qui de gremio saecularis cleri in casu est, et ab alio adiuvatur saeculari Presbytero ; qui, sicut Parochus hoc Parochi titulo decoratur, et ipse decoratur titulo Vicarii. Hoc autem factum est ex auctoritate Episcopi dioecesani, inter quem et Abbatem initum est Concordatum, ut talis paroecia ab iis administraretur et gubernaretur. Hinc et saecularis clerus in ea Ecclesia, diebus maxime dominicis, ex iure Concordati, sacras functiones peragit, et etiam diebus ferialibus Missam iure celebrat, aliasque funereas functiones. Hoc profecto satis ostendere videtur, Ecclesiam uti parochialem ad dioecesanum clerum liturgice pertinere : consequenter calendarium dioecesis in functionibus relativis adhibere eum posse, nisi et debere.

Reponimus, gravem quidem videri difficultatem, sed revera speciosam esse, et non probare. Namque parochiam administrandam et regendam a Presbytero saeculari, alio coaudiutore addito, ex Concordato statutum indubie est, ne Monachi a sua vita communi, et ab oneribus choralibus illi adnexis deturbarentur. Sed ex eo deduci, Abbatem et Episcopum voluisse a Monachis alienare liturgicam proprietatem Ecclesiae, adeo falsum est ut verum esse non possit. Regere enim et administrare paroeciam quid aliud in casu significare valet, nisi ad Parochum spectare ea omnia , quae respiciunt administrationem, regimen et functiones Ecclesiae uti parochialis proprias ? Eius ergo erit agere Missam parochialem diebus Dominicis, aliis etiam diebus pro opportunitate funera persolvere, confessiones fidelium audire, Eucharistiam distribuere, Matrimonia benedicere etc. etc. At haec et similia, Ecclesiae parochialis propria, nequaquam dicunt, per se saltem, liturgicam proprietatem Ecclesiae, relative ad Parochum illa exercentem ; sed ius tantum dicunt aut etiam onus illa eadem peragendi ex officio, quia Parochus est, et quia vi Concordati ea omnia illi permitti debent a Monachorum Praelato. Ad quem nihilominus illiusque Communitatem cum citra controversiam pertineat Ecclesia, concludere nemo iure posset, Praelatum voluisse aut potuisse velle iura sua super liturgica Ecclesiae proprietate Parocho cedere, quippe quae ipsi Monasterio adhaeret. Idque demonstratur etiam ex modo se gerendi Praelati et Monachorum, qui diebus Dominicis in separata, Ecclesiae tamen, Cappella

choralibus oneribus faciunt satis, iuribus propriis cedentes, ut Parochus saecularis libere parochiales functiones exercere valeat.

IV. Verumtamen, sicuti in suis adimplendis officiis Praelatus et Monachi sunt in propria, ita Parochus parochiales exercens functiones non est in propria Ecclesia. Animadvertas enim Parochum in casu esse titularem, seu Parochi titulo condecoratum : quod profecto non significat esse verum Parochum, seu omnibus parochi iuribus pollere, sed solum Parochi titulo. Consultius fuisset, non *Parochi*, seu Cappellani vel Rectoris nomine illum vocare, quod profecto regularius fuisset ; ex iure enim saeculares Presbyteri, qui curam animarum in Ecclesiis Monachorum exercent, Cappellani, non Parochi nomine appellantur *(Cap.* **in Ecclesiis** *1. De Cappellis Monachor.)*. Ratio est, quia in dictis Ecclesiis Presbyteri saeculares **solum Curae exercitium habent** nihilque aliud, cum Ecclesiae necessario sint subiectae Monasterio, ad quod pertinent. Aliunde, ut Parochi, non solum eo nomine vocentur, sed ut vere sint tales, alia plura ex iure requiruntur, quibus Parochi honore decoratus in casu destituitur.

Hinc igitur liquet Calendarium in eiusmodi Monachorum Ecclesia adhibendum, sive quatenus Abbatia, sive quatenus paroecia, nonnisi Monachorum esse posse ac debere. Sane, de eo a Monachis adhibendo nulla quaestio suboritur, cum ad ipsum sequendum ex lege eorum propria ita adigantur, ut aliud sequi prorsus nequeant. Calendarium proinde Monachorum est etiam praefatae Ecclesiae proprium, cum Ecclesia ipsa sit Monachorum propria. Sed neque difficultas oriri debet pro eodem Calendario sequendo ab exteris Presbyteris in illa Ecclesia celebrantibus. Decretum enim novissimum in una *Urbis* statuit : In Ecclesiis alicui Religiosae Familiae concreditis, Sacerdotes exteri in illis celebrantes tenentur sequi Calendarium eiusdem Familiae proprium, si habeatur *(15 Dec. 1899, num. 4051 ad II)* ». Atqui Calendarium Religiosae Familiae seu monachalis proprium revera habetur in casu ; ergo ad illud sequendum exteri Sacerdotes tenentur.

V. Potior ergo quaestio ipsum vocatum Parochum respicere potest, et de ea specialiter nunc agendum est. Sed imprimis advertendum quod dicitur in expositione Dubii, videlicet *statutum esse ex speciali privilegio in Apostolicis Litteris Calendarium monasticum*

ab antedicta parochia accipiendum esse et observandum. Porro parochiam moraliter acceptam, uti notum est, Parochus et parochiani constituunt; ex quibus ille Missam aliasque parochiales functiones agit, isti vero iisdem assistunt. Ergo tam Missa quam aliae functiones parochiales secundum monasticum Calendarium persolvendae sunt.

At obiicies: haec dispositio mutationi obnoxia fuit per aliam posteriorem dispositionem, ex qua vi Concordati Parochus institutus fuit illius Ecclesiae. — Negamus suppositum. *a)* Concordatum inter Monasterii Praelatum et Episcopum loci dispositionem Pontificiam mutare non valet; quia Praelati inferiores nil ex iure possunt contra voluntatem Praelati superioris, maxime Summi Pontificis. *b)* Parochus, de quo agimus, eo vocatur nomine seu titulo honoris; sed eiusmodi non est, ut iuribus omnibus Parochorum propriis frui possit, uti superius visum est. Exerceat ergo parochiales functiones et acquiescat, sed in his servet Calendarium Ecclesiae, quae sua non est, sed Monachorum. Calendarium, inquam, monasticum quod attinet ordinem festorum et festa in dicta Ecclesia celebranda, non autem illa quae propria Monastici ritus esse fortasse possunt, cum unusquisque proprios ritus servare debeat. *c)* Duplicis Calendarii usus in una eademque Ecclesia servari nequit; esset enim contra expressam voluntatem S. R. Cong.nis, essetque simul confusionis et inordinationis causa. Cum autem Monachos iura sua Parocho cedere inversio ordinis esset et ex parte Monachorum prorsus illicitum, palam sequitur, Parocho standum esse Calendario monachalis Ecclesiae. *d)* Hanc certam esse voluntatem Summi Pontificis abunde infertur ex Gen. Decreto *Urbis et Orbis* d. d. 9 Iul. 1895 et mense Decembri a Leone Pp. XIII confirmato. Namque ut uniformitatem in omnibus Ecclesiis circa officia liturgica induceret, praescripsit et ordinavit, ut Missae Regularium propriae a saecularibus quoque Presbyteris, in illorum Ecclesiis celebrantibus, legerentur, et Missae quoque Beatorum a quibuscumque Presbyteris dicerentur, dummodo in Ecclesiis, in quibus celebrarent, eorum esset cultus approbatus. Una autem dictarum dispositionum fuit ratio, *ne* videlicet *latae super celebratione Missarum leges aut confusionem aut facilem transgressionem paterentur.* Ergo et Parochi nomine vocatus ad eiusmodi observantiam, in casu, tenetur. *e)* Denique Concorda-

tum inter duos Praelatos dioecesis et Abbatiae nullum continet pactum favens Parocho circa sui seu Dioecesis Calendarii usum ; ius ergo illud sequendi unde derivaret ? Ex Concordato ius acquisivit, ut titulo Parochi gauderet : gaudeat. Ius acquisivit functiones Parochi proprias agendi : agat. Ius acquisivit in specie ut functiones funereas persolveret : persolvat et mercedem quoque retineat. At Calendarium suum sequendi ius non acquisivit ; ergo non possidet, proindeque illud Ecclesiae monasticae tenetur sequi, in qua parochiales functiones exercet. *f)* Casus omnino similis accidit in magno Collegio S. Lazari Urbis Placentiae in Italia. Ibi ab Emo Alberonio Cardinali fundatum fuit Collegium ecclesiasticum, datumque regendum et gubernandum Presbyteris Cong.nis Missionis, seu Vincentianis. Ecclesia illi adnexa est parochialis, cuius administratio et regimen Presbytero saeculari externo concreditum est. Hic functiones omnes exercet parochiales in dicta Ecclesia quae tamen ad Collegium pertinet, quod solis Dominicis festisque diebus Missam solemnem decantat, et Vesperas, et alias quasdam functiones persolvit pro opportunitate. Quodnam putas Calendarium teneri a Parocho ? Non quidem placentinae dioecesis, sed proprium Presbyterorum Missionis ; et iure optimo, quia Ecclesia ipsorum est, non Parochi, qui eiusmodi tantum nomine vocatur, quod munera parochialia implet, sed est in Ecclesia non sua. Hinc potiori iure a peritis non Parochus sed Rector nuncupatur.

VI. Post dicta, ad proposita Dubia, et peculiariter ad primum deveniamus.

Ad 1. Parochus in casu, tam diebus usualibus quam Dominicis et feriatis, sequi debet Calendarium Ecclesiae monasticae, et non potest suum ; quia tanquam in aliena Ecclesia parochiales functiones exercet.

Ad 2. Diebus, quibus a Monachis recolitur festum in genere primae classis, potest dictus Parochus canere Missam de requie, cadavere, seu physice seu etiam moraliter praesente ; in specie id non potest quando agitur a Monachis festum primae classis ex solemnioribus, sive ad universalem Ecclesiam, sive ad Ecclesiam ipsam monasticam pertineat.

Ad 3. Sacerdotes qui apud Monachos veluti hospites commorantur, Calendarium monasticum sequi debent et nullum aliud ;

quod Ecclesia monasterii ad eos non pertinet, estque pro ipsis prorsus aliena. Ergo Generale Decretum supra relatum tenentur sequi potiori etiam obligatione, quam praefatus Parochus.

Ad 4. Color paramentorum altaris debet esse semper conveniens officio et Missae Ecclesiae Monachalis si color officii et Missae sit idem, et Missa concordet cum officio: si autem color officii et Missae discordet, ut in vigiliis infra octavas et in Missis votivis, tunc auctores inter se non conveniunt: ut vel officii vel Missae colori dicta paramenta convenire valeant. De Herdt casum excipit unicum Missae solemnis, in quo decet ut paramenta Ministrorum et altaris eiusdem coloris sint.

VII. Nunc ad ea, de quibus ab initio diximus, incommoda, quae ex data solutione derivant. Patet primo per exhibitam resolutionem grave fuisse vitatum incommodum duplicis Calendarii in eadem Basilica, alterius monastici, alterius dioecesani. Sed alterum incommodum ex illa oritur circa Calendarium a Parocho sequendum, vel in sola Missa, vel etiam in officio. Dicimus primo, in sola Missa Parochum sequi Calendarium monasticum optime posse. Incommodo autem, ex hoc derivanti, sequenti animadversione occurrimus. Missam ab officio discrepare Celebrantis nullum est, vel apparens tantum incommodum. Nam lex, impraesenti saltem, non exigit ut Missa conveniat cum officio Celebrantis, sed cum officio Ecclesiae. Et iure; namque unus et integer debet esse eiusdem Ecclesiae quotidianus cultus, qui per Missam et officium obtinetur. Ergo per Missam officio Ecclesiae respondentem, quamvis illud a Celebrantis discordet, perfecte adimpletur Ecclesiae voluntas et finis Decretorum, quae ea super re lata fuerunt. Patet ergo, praefatum incommodum esse plane nullum; ut Parochus in casu Calendarium monasticum sequi optimo iure possit, legesque servare; ergo debet.

Quod si Ecclesiam parochialem cogatur respicere Parochus tanquam non suam, hoc veritas est, et incommodum ex rei natura derivat. Eiusmodi enim Ecclesia Monachorum certe est, et parochialis licet, ad Monachos pertinere non desinit; parochia quippe in Monachali Ecclesia est, et cum per accidens Parochus, saecularis sit Presbyter, aliter esse non potest.

Quid autem si Parochus Missam et officium diceret, Monastico Calendario respondens? Id ne posset? Respondemus: Aut Paro-

chus hospes est apud Monachos ; et absque dubio id potest ; quia certa nobis scientia constat, Monachos, de quibus in casu, privilegio frui, ex quo omnes apud eos Sacerdotes hospitantes Breviario monastico uti licite possunt. Aut non est eiusmodi, et id non potest, quin facultatem petat et obtineat a Sancta Sede ; sive quia pro officio unusquisque ex generali lege Calendarium suum adhibere debet, sive etiam, et a fortiori, quia Ritus monasticus, in casu, a Ritu Romano discrepat.

Haec quidem omnia et singula iuxtam nostra sentiendi rationem, quam sapientiorum iudicio submittimus.

Super lectionibus primi Nocturni

IN TRANSLATIONE S. IANUARII

PECULIARIS QUAESTIO

(Ex Abbatia Cavensi).

Ordo divini officii iuxta ritum monasticum alterius ex Abbatiis Benedictinis, in regione Neapolitana existentis, ad I. Dominicam mensis Maii pro festo Translationis S. Ianuarii habet : « Lect. I. Noct. *Stabunt iusti* de Com. Mart. temp. paschali ; » Ordo autem Cleri Neapolitani iuxta ritum romanum dicit : « Lect. I. Noct. *A Mileto* ».

Inde quaestio inter Eugenium et Henricum : quorum ille stat pro lectionibus *A Mileto*, iste pro lectionibus *Stabunt iusti*. Momenta, quae Eugenius affert pro sua sententia, sunt : 1. S. Ianuarius est Martyr et Pontifex ; atqui pro Martyre et Pontifice lectiones in Breviarii Romani lege praescriptae *A Mileto* sunt. 2. Breviarium Benedictinum Neapoli editum sequentem fert Rubricam : « Lect. I. Noct. ut in alio festo S. Ianuarii 19 Septembris » ; atqui huiusmodi

lectiones pro dicta die assignatae pariter *A Mileto* sunt. 3. Lectiones *A Mileto* tamquam propriae S Ianuarii semper retentae sunt.

Reponit Henricus primum momentum non probare; quia etiam S. Stanislaus (7 Maii) est Mart. et Pontifex, sicut et S. Bonifacius, (5 Iun.) cum nihilo tamen minus utrique festo Breviarium Benedictinum assignet Lectiones *Stabunt insti*. Alterum ac tertium quoque momentum infirmat Henricus ex imperitia viri, qui ordinavit Breviarium Benedictinum, quod citat Eugenius. Sane in eo Breviario ritus Benedictinus confunditur cum Romano; quia docet, in festo Patrocinii S. Ioseph, quando transferri debeat extra tempus paschale, antiphonam secundam et tertiam Nocturnorum sumendam esse ex alio festo S. Ioseph, die 19 Mart. celebrando. At satis notum est, ritum Romanum tres antiphonas totidemque psalmos habere pro unoquoque Nocturno; sed ritum Benedictinum sex ferre antiphonas et sex psalmos in primo et secundo Nocturno, unam antiphonam et tria cantica, in tertio. Quod ergo proprium est ritus Romani ad Benedictinum imperite applicat. Haud ergo mirum, si iudicavit lectiones *A Mileto* esse S. Ianuarii proprias, cum certe sint de Communi: eoque magis, quia lectiones *Stabunt iusti* in Breviario Romani ritus non habentur pro tempore paschali.

Sed Eugenius se defendit respondens, lectiones *A Mileto* esse recitandas; quia eae praescriptae quoque reperiuntur in alio libello alterius ex Abbatiis Benedictinis, cuius Rubrica docet: « Lect. I. Noct. *A Mileto* etiam tempore paschali ». Ex quo infert, dictas lectiones esse S. Ianuarii tamquam proprias; eoque magis, quia in libello Beneventano in festo etiam Patrocinii S. Ianuarii, die 16 Decembris, haud lectiones de Scriptura notantur, sed *A Mileto*, cum nihilominus dictum festum sit duplicis minoris ritus. Aliunde, addit, optimo iure potuit Ecclesia lectiones *per se* communes, uti proprias assignare pro S. Ianuario, quemadmodum lectiones *Fidelis sermo* assignavit pro S. Petro Chrysologo, pro S. Ambrosio, licet Ecclesiae Doctoribus, in I Nocturno: lectiones *Si consideremus* in III Nocturno pro S. Hermenegildo, etiam tempore paschali, quae tamen extra tempus paschale per se dicendae sunt. etc. etc.

En quaestio et momenta utrique sententiae faventia, quae nobis discutienda proponuntur. Uti patet, dubia res est, eam igitur cum allatis aliisque momentis nostrum erit expendere, ut videamus quid

tenendum sit, cuique sententiae, si fieri possit, adhaerendum.

Notamus primo, lectiones *Stabunt iusti* communes unius aut plurimorum Martyrum pro tempore Paschali non adesse in Breviario Romano, bene tamen in Breviario Ordinis S. Benedicti. Hinc sequitur, eas bene stare posse *per se* in festo S. Ianuarii secundario, quod Dominica I. Maii alicubi a Monachis praefatis recolitur.

Notamus secundo, lectiones de quovis Communi frequenter, non solum iuxta Romanum, sed etiam iuxta monasticum ritum, mutari in casibus particularibus, quia aliae magis congruere censentur alicui Sancto in specie, idque accidere in omnibus lectionibus cuiusque Nocturni. Inutile de hoc afferre exempla plura iudicamus, cum cetera nemo ex minus etiam rei liturgicae peritis de hoc ambigat. Notamus denique tertio, Calendaria normam profecto constituere, uti in genere pro officio recitando, ita et pro lectionibus in particulari recitandis, dummodo ea iuxta Rubricas ordinata fuerint. Officium enim iuxta easdem Rubricas recitandum est, ad quarum normam Calendaria fieri debent: secus Calendarium *Inordinatio* magisquam *Ordo* foret appellandum.

His praenotatis, et Calendariis sepositis, pergendum credimus ad examinandas Rubricas, seu monastici Benedictini, seu Romani ritus, quae substantialiter conveniunt, quidem, sed accidentaliter saepe differunt, prouti differt et ritus. Rubrica Breviarii Romani praescribit, lectiones I. Nocturni dicendas esse de Scriptura: « quae quando suis locis **propriae aut de Communi non assignantur,** semper leguntur ut in officio de tempore *(Tit. 26, n. 2)* ».

Convenit et Benedictina Rubrica: « In primo Nocturno semper leguntur quatuor lectiones de Scriptura, quae (quando per hyemem suis locis **propriae aut de communi** non assignantur), semper leguntur ut in Officio de tempore....; per aestatem vero quando in feria, una tantum legitur Lectio brevis, accipiuntur **de Communi Sanctorum, si propriae non fuerint aut assignentur** *(Tit. 26, num. 2)* ».

Qua posita regula generali, videndum nunc, utrum pro Translatione S. Ianuarii **propriae** dentur vel saltem **assignatae. Propriae** extra controversiam non dantur: quod nisi verum foret, quaevis controversia sublata esset, ardet tamen. Sed quid de **assignatis?** Extant ne? Respondendum credimus: Affirmative. Certe

Rubrica est, tam in Breviario monastico quam in romano, iisdem plane concepta verbis, dicens : « Lectiones sequentes **(A Mileto** *videlicet)* primi Nocturni leguntur in festo Martyris et Pontificis *(Post psalmos I. Noct. in Communi unius Martyris)* ». Atqui S. Ianuarius est Martyr et Pontifex ; ergo lectiones *A Mileto* in eius Translationis festo assignatae habentur.

Sed obiicies : Relata Rubrica pertinet ad tempus non paschale, hic vero de tempore paschali agitur ; quo ergo iure applicatur ad S. Ianuarium, cuius secundarium colitur festum Translationis, et pertinet ad tempus paschale ? Respondemus, relatae Rubricae aliam perfecte cohaerere, quae ad tempus paschale pertinet, quippe quae ait : « In I. Noct. Lect. de Script. quae occur. temp. pasch. in Offic. de temp. **vel quando non adsunt,** de Comm. unius vel plurim. Mart. **extra temp. paschale** *(De Comm. Mart. temp. pasch. ante Respons. I. Noct.)* ». Hae vero sunt : *Fratres, Debitores sumus* pro pluribus Martyribus, *A Mileto* pro uno Martyre Pontifice; atqui S. Ianuarius, in casu, unus est, utpote a suis Ss. Sociis separatus, et praeterea est citra dubium Martyr et Pontifex; ergo lectiones *A Mileto* in festo illius Translationis assignatae sunt.

Equidem posset obiici, ultimam relatam Rubricam ad Breviarium romanum pertinere quidem, sed non certe ad monasticum, in quo non reperitur. At nihilominus stat argumentum ; quia Translatio Reliquiarum S. Ianuarii est festum secundarium et dup. II classis, quod ideo celebratur, quia pertinet ad celeberrimum regionis totius Neapolitanae patronum. Unde sequitur eius officium esse dictae regionis proprium, et consequenter ideo illud Monachos recolere, quia in tali regione degunt. Hinc extra dictam regionem, S. Ianuarii nonnisi unum, etiam a Benedictinis, recolitur festum primarium, quod die 19 Septembris occurrit. Ex his notabilem inferimus conclusionem, non illud a Clero saeculari celebrari, quia Monachi celebrant, sed e contra celebrari a Monachis, quia a Clero saeculari celebratur. Hocce officium ergo non a Monachis ad Presbyteros, sed a Presbyteris ad Monachos transivit. Proindeque cum a Clero saeculari illud acceperint Monachi, nonnisi prouti erat accipere poterant, ritu tantum Romano in Monasticum ex necessitate mutato. Igitur, si lectiones erant *A Mileto*, et hae sine controversia erant iuxta Rubricas Breviarii Romani, alias recitare non poterant ; quia

libertas ipsis deerat concessas lectiones mutandi in alias. Sint ergo lectiones *A Mileto* uti propriae, sint communes pro Clero saeculari, certum est eas esse Rubricis conformes : adeo ut Monachi Benedictini, officio accepto, eas recitare debuerint, easque considerare tamquam proprias, quippe qui tempore paschali pro lectionibus de Communi habent *Stabunt iusti.*

Confirmatur sententia ex alia eiusdem Breviarii monastici (licet Camaldulensium, qui tamen ad Benedictinos pertinent, uti notum est) Rubrica, quae easdem lectiones, *A Mileto,* pariter praescribit. Eiusmodi editio Romae cusa est, constatque nobis, qui et eam aliquo modo curavimus, maxima cum diligentia assiduoque studio fuisse peractam anno 1896. In hac autem editione, quae fert Officia Eremi Neapolitani propria, ponitur in Dominica prima Maii festum Translationis S. Ianuarii ; et Rubrica relativa sequentis tenoris est: « Omnia de Communi unius Martyris pro qualitate temporis, exceptis his quae sequuntur:

In I. Vesp. Ana. ad Magnificat. Beatus Ianuarius etc. Oratio. Deus qui in Translatione etc. Et fit Comm. Dominicae occur. In I. Noct. Lect. *A Mileto* de Com. Unius Mart. Pont. extra tempus Paschale. R℣R℣. vero temp. Pasch. ».

Videas ergo, arbitrium repugnare in casu ; namque officium est quidem, pro qualitate temporis, de Com. unius Mart., sed fit exceptio pro lectionibus, quae de tempore paschali esse non debent, cum tamen de tempore paschali Responsoria praescribantur. Ergo Rubrica Breviarii monastici est indubie authentica.

Rubricis conformia legimus Calendarium Monasticum de Monte Corona, seu anni 1894, seu 1898, pro Eremo Neapolitano, in quo dicta in Dominica easdem lectiones pro praefato festo, seu *A Mileto* assignat.

Suffragatur et ratio quam deducimus ex festo primario S. Ianuarii, a Sociis separati, quod habet lectiones *A Mileto*, et eaedem ex dicto primario festo translatae quoque sunt ad secundarium, uti fieri de more solet. Iam nunc Monachi Benedictioni nonne *A Mileto* recitant die 19 Septembris ? Ergo et easdem in prima Dominica Maii recitare debent, tamquam proprias.

Item ratio suffragatur, illata ex ritu dup. 2. classis, quo Translatio S. Ianuarii gaudet. Nam lectiones communes in duplici 2.

cl. locum habere non debent, sed aut propriae, aut tamquam propriae esse debent, seu assignatae. A fortiori ratio suffragatur, quam inferimus ex ipsis lectionibus *A Mileto*, praescriptis pro festo Patrocinii eiusdem Sancti, quod duplicis minoris ritus est, et consequenter ius non habet per se ad lectiones de Com. aut proprias, sed de Scriptura. Quid ultra requiritur ut veritas patescat, lectiones *A Mileto* esse uti proprias, non solum pro Clero saeculari, sed et pro Monachis in regione Neapolitana degentibus ?

Consequitur ex hucusque dictis, sententiam pro lectionibus *A Mileto* satis esse probatam, quod asseri nequit de sententia pro lectionibus *Stabunt iusti*. Illi enim favent : Rubrica Generalis et specialis utriusque Breviarii monastici et romani, Breviarium Neapoli editum, et Breviarium aliud editum Romae, utrumque Benedictinum, libelli duo de quibus Eugenius, et Calendaria aliqua, quae legere potuimus. Quid autem favet alteri sententiae ? Duo tantum argumenta, quae potius negativa dici possent, quam affirmativa. Primum consistit in exemplo S. Stanislai Poloni, qui licet Martyr et Pontifex, lectiones tamen habet in Breviario monastico *Stabunt iusti :* ex quo infirmat sententiam Eugenii super lectionibus *A Mileto* pro S. Ianuario, qui Martyr et Pontifex est. At sive alia exempla perpendamus ab Eugenio allata, sive alia momenta quae nos allegavimus, exemplum allatum haud nimis, nisi parum satis, probare credimus : ceterum lectores sine partium studio iudicent. Alterum argumentum consistit in imperitia viri, qui Breviarii editionem curans, sicut in aliquo erravit, ita in iudicandis lectionibus *A Mileto* propriis pro S. Ianuario errare potuit. Sed hoc quoque argumentum satis videtur infirmum ad rationes labefactandas, quae ex aliis codicibus eductae fuerunt. Ea propter veniam ab Henrico petentes censemus posse concludi, nisi omni cum certitudine, omni profecto cum probabilitate, quae ex principio reflexo in securitatem convertitur : « In festo Translationis S. Ianuarii, quod Dominica prima Maii in regione Neapolitana recolitur, lectiones I. Nocturni, non *Stabunt iusti*, sed *A Mileto* recitandae sunt, non solum a Presbyteris saecularibus, sed etiam a Monachis ex Ordine S. Benedicti.

QUAESTIO LITURGICA

De sensu Missae solemnis pro defunctis et unica Oratione.

Duplex proponitur nobis resolvendum dubium super Decreto Gen. 30 Iun. 1896. Primum est : « Quid intelligitur per Missam solemnem, et quaenam solemnitas requiritur pro unica Oratione ? » Alterum sequenti modo exponitur : « An ultima verba : *et in anniversariis late sumptis* sunt explicativa casus, quo *Missa solemnis* celebrari potest ? An vero debent sic intelligi, ac si aperiatur quaedam parenthesis post verba *Missa solemniter celebratur*, et claudatur post incisum : *uti in officio quod recitatur post acceptum nuntium obitus*, ita ut in Anniversariis late sumptis Missa etiam legi debeat cum *unica* Oratione ?

Resp. 1. Non possumus quin verba supercitati Decreti referamus, ut sensus illius dispositionis palam fiat. Disponit itaque Decretum : « **Unam** tantum dicendam esse **Orationem** in Missis omnibus, quae celebrantur in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, die et pro die obitus seu depositionis, atque etiam in Missis cantatis, vel lectis permittente ritu, diebus III, VII, XXX et die anniversaria, nec non quandocumque pro defunctis Missa *solemniter* celebratur, nempe sub ritu qui duplici respondeat : uti in officio, quod recitatur post acceptum nuntium de alicuius obitu, et in Anniversariis late sumptis.

Nunc quaeritur, quid intelligendum sit pro Missa solemni, sive, uti patet, quid exprimatur per verba Decreti « Missa *solemniter* celebrari. » Animadvertimus, haec verba fuisse inserta in Decreto, ut sensus antiquae Rubricae Gen. Missalis aperiretur, quae dicebat, uti in recenti, **unam** tantum esse **Orationem** dicendam, non solum in Commem. Omn. Fidel. defunctorum, die Depositionis,

in Anniversario, diebus III, VII et XXX, sed etiam *quandocumque pro defunctis solemniter celebratur*. Sicut autem auctores non conveniebant in significatione horum verborum, ita censuit opportune S. R. C. sequentia verba addere : « nempe sub ritu qui duplici respondeat ». Quae verba a Guyeto, Liturgicorum facile principe, deprompta videntur. Hic namque, diebus Commemorationis Omn. Fid. Defunctorum, Depositionis, Anniversarii, III, VII et XXX nominatis, in quibus una Oratio dicenda, adiungit : « Et quandocumque pro defunctis solemniter celebratur **seu ritu duplici** (*Lib. IV, Cap. XXIII, quaest. 28*) ». Ut vero Decreti verba « **sub ritu, qui duplici respondeat** » facilius lectores intelligerent, duo sequentia exempla addita fuerunt, nempe : « uti in Officio, quod recitatur post acceptum nuntium de alicuius obitu, et in anniversariis late sumptis ». Hinc patet, non solum solemnem dici posse ac debere Missam diei obitus, III, VII, XXX et anniversarii proprie dicti, sed eiusmodi esse quoque Missam de alicuius obitu, quae locum habet post illius mortis nuntium acceptum, et Missam anniversarii improprie dicti, seu late sumpti.

Sed hic nota, praefatas Missas dici posse solemnes quia dictis diebus cantantur, et dici posse solemnes, quia iisdem diebus simpliciter leguntur, quatenus eas permittit ritus officii diei occurrentis. Quemadmodum enim ritus duplex in die Commemorationis Omn. Fidel. Defunctorum, et etiam in die Depositionis defuncti (si Missa tamen exequialis habeatur) non impediunt Missas de requie privatas, ita ritus semiduplex occurrens diebus III, VII, XXX et anniversaria, Missam de requie pariter privatam impedire non valet. Si ergo Missa de requie privata dictis diebus celebretur vel de die obitus, vel de die III, VII, XXX aut anniversaria, haec Missa erit quidem privata, **quod sine cantu**, sed vero solemnis erit **quoad privilegia**, quippe quae iisdem privilegiis fruitur ac solemnis, seu cum cantu.

Quinimo, si die in quo dicenda est Missa cantata post acceptum nuntium obitus alicuius, vel Missa cantata de Anniversario late sumpto, occurrat in illa Ecclesia festum semiduplex, fieri quoque potest de die obitus post acceptum nuntium, et de anniversario late sumpto, Missa privata ; et haec quoque Missa erit privata ratione defectus cantus, sed solemnis ratione privilegiorum.

Exemplum sumas a Missa, quam Leo Papa XIII in prima VI feria cuiusvis mensis indulget in honorem SS. Cordis Iesu ; haec enim esse potest quidem votiva privata, sed ratione privilegiorum erit votiva solemnis. Alterum, et proprius, exemplum habes in Missis de requie privatis, quae permittuntur, non omissa tamen cantata, in die Depositionis : hae quoque Missae privatae sunt, seu sine solemnitate cantus, sed solemnibus aequivalent, quia ratione privilegiorum uti solemnes habentur. Denique ultimum accipe exemplum a Missa de requie privata, quae recentissime indulta est pro paupere, qui solvere non valet expensas pro cantata : haec pariter privata est, sed etiam solemnis, ut supra diximus.

His positis, liquido profluit primo proposito Dubio responsum, quid nempe intelligatur **pro Missa solemni ;** seu aliis verbis, quid sit in casu **Missam solemniter celebrari.** Namque Missa solemnis, **in se inspecta,** est Missa de requie cum cantu, quae diebus supradictis habetur, seu diebus privilegiatis, obitus, III, VII, XXX et anniversarii, sive stricte sive late sumpti, et de post acceptum nuntium alicuius obitus : Missa solemnis, **privilegio inspecto,** est Missa de requie, sed privata, quam ritus officii occurrentis permittit, iisdemque diebus privilegiatis dicitur. Ex quo responso patet, vix habere locum alteram Dubii partem, utpote in hucusque expositis abunde praeoccupatam. Namque ex dictis abunde sequitur, solemnitatem Missae de requie, non tam a cantu vel ministris sacris esse desumendam,

quam a privilegio dierum, in quibus Missa celebratur. Itaque Missae de requie, quae diebus privilegiatis fiunt, eae tantum sunt solemnes, aut solemnibus aequivalent, eaeque omnes ac singulae, iuxta praefatum Decretum ac Rubricas, unicam Orationem habent, non reliquae. Missae autem quae fieri possunt diebus privilegiatis, sunt illae quae primis tribus formularibus in Missali positis respondent : reliquae sunt illae, quae ultimo formulari respondent, seu formulari Missae quotidianae.

Resp. 2. Verba « *et in Anniversariis late sumptis* », ut iam superius innuimus, sunt revera explicativa casus, *quo solemnis Missa* celebrari potest, sed tantum indirecte. Directe vero explicativa sunt verborum « sub ritu qui duplici respondeat » videlicet significant in Anniversariis late sumptis Officium defunctorum, si faciendum esset, sub ritu duplici faciendum fore. Exemplum haec verba constituunt, et coniungenda sunt cum aliis superioribus verbis « uti in officio quod recitatur post acceptum nuntium de alicuius obitu » quae pro alio exemplo sunt posita. Adeo ut officium, quod recitatur, tam post acceptum nuntium obitus, quam in Anniversario late sumpto, sub ritu duplici faciendum sit ; et Missa relativa, quae eidem officio duplici respondet, *solemniter* celebratur. Hic, et non alius est Decreti sensus. Non ergo ulla aperienda est parenthesis post verba « Missa *solemniter* celebratur », neque claudenda post incisum « uti in officio quod recitatur post acceptum nuntium obitus » ; tunc enim, parenthesi supposita, ritus duplex applicaretur tantum ad Missam de die obitus post acceptum nuntium, et non ad anniversaria late sumpta : ut haec non amplius considerari deberent uti Missae officio duplici pro defunctis respondentes, quod nihilominus Decretum indicat. Insuper το *solemniter* nullo modo in Decreto explicaretur, quod contra illius sensum est ; voluit enim dicere, non solum dies Comme-

morationis Omn. Fidel. Defunctorum, III, VII, XXX et Anniversarios stricte sumptos esse solemnes, sed etiam alios duos dies in quibus dicitur Missa post acceptum nuntium alicuius obitus, et in quibus dicitur Missa pro Anniversario late sumpto, quia hi quoque dies duplici defunctorum officio respondent. Si proinde parenthesis poneretur, sensus Decreti mutatus evaderet contra mentem legislatoris. Ergo in omnibus singulisque Missis, quae praefatis diebus celebrantur, unica ex mente Decreti dici debet Oratio, quia reputandi sunt solemnes, solemnisque Missa iis diebus celebranda, eo tamen sensu, quem superius exposuimus.

Traditam doctrinam, quae certa est, applicantes ad consuetudinem loci, dicimus, optime rem procedere, cum die Depositionis Missa cantetur, vel legatur si de paupere agitur, qui solvere non valet expensas. Sed non probamus exequias solemnes ad aliam remitti commodiorem diem, utilius enim die depositionis fieri possent ac deberent, prout in Rituali Romano, quamvis et alia die, puta III, VII, XXX, locum habere valeant in ampliorem defuncti suffragium. Sed obiter haec dicta sint, cum non sint ea petitionis obiectum. Quaeritur vero, num die, qua remissae sunt exequiae solemnes, Missa unam exigat vel tres Orationes. Responsio facilis, quae nullo labore ex iam expositis discussisque sequitur. Dies, de qua in casu, aut est ex privilegiatis, aut non : aut videlicet est tertia vel septima vel trigesima ab obitu vel depositione seu sepultura, aut non. Si primum, unicam illa, et sine controversia, Orationem admittit, quae habetur in Missali pro relativa die. Si alterum, tres indubie Orationes Missa exigit: quarum, iuxta Rubricam Gen., prima esse debet pro defuncto, cui Sacrificium applicatur, altera ad libitum Celebrantis, tertia et ultima, non enim plusquam tres dici possunt, pro omnibus defunctis (*Tit. V, n. 4*). Idem pa-

riter servandum, quando, in die obitus aut sepulturae, solemnibus exequiis persolutis in propria paroecia, alia in alia die canitur Missa solemnis cum vigiliis, positione cenotaphii, alioque apparatu funebri. Hoc est, si haec alia dies ex privilegiatis est, Missa unicam, si ex privilegiatis non est, tres Orationes habere debet: haec certa et nulli dubio obnoxia veritas, cum Rubrica Missalis clarior esse nequeat.

Ad ampliorem rei declarationem animadvertas velim, Rubricas et Decreta super Orationibus in defunctorum Missis aliquam fuisse passas mutationem. Etenim ante Rubricarum emendationem et supercitatum Gen. Decretum, quaevis Missa de requie cum cantu unicam admittebat Orationem, cuiuscumque ex quatuor formularibus fuisset. Sed ius praesens mutatum est, ut antiquum sequi, post Decreta antiquiora expuncta et novum Generale vulgatum, postque reformatas Rubricas, amplius non liceat. Antiquitus quaevis Missa de requie cum cantu, vix Missa prima mensis, et canenda in collegialibus Ecclesiis II feria cuiusvis hebdomadae, permittente ritu, exceptis, omnes singulaeque Missae de requie cantatae uti solemnes habebantur, iisque applicabantur verba superius allata Rubricae « et quandocumque solemniter celebratur ». Impraesenti vero, iure liturgico mutato, aliter dicendum est: ut haud quaevis Missa de requie cum cantu solemnis haberi debeat, sed tantum ea, quae diebus privilegiatis dicitur. Hoc est iuxta normas Missarum votivarum, ad quas Missae de requie vel pertinent vel certe reducuntur: adeo ut, sicut non omnis Missa votiva cum cantu solemnis dici debet, ut cantari possit in duplici, et unica Oratione gaudeat, sed tantum quae est pro publica Ecclesiae causa, privilegio secluso; ita Missa de requie cum cantu, ut sit privilegiata et unam habere valeat Orationem, necesse est ut diebus privilegiatis fiat. Hinc proinde notandum, Missam, de qua agimus, si extra dies privile-

giatos locum habeat, non solum debere tres Orationes habere, sed neque eam dici aut cani posse occurrente in Ecclesia ritu duplici ; quia, sicuti votiva quaecumque, nisi pro re gravi sit, in duplici interdicitur, ita Missa de requie quaecumque, etiam in cantu, nisi privilegiata sit, prohibetur in duplici. Hoc autem ad novum ius non pertinet, sed ad antiquum, et servandum est : ut dicta Missa in casu cantari nequeat, nisi in semiduplici, quemadmodum privata, cum nullo privilegio fruatur. Qui proinde sustinent, huic Missae unam Orationem competere, Rubricis adhaerent ante ultimum Decretum Gen. atque emendatas Rubricas, sed impraesenti eorum sentiendi ratio Decretis et Rubricis emendatis opponitur. Aut ergo talis Missa in aliquo ex diebus privilegiatis facienda est, et tunc fieri potest in duplici, et cum una Oratione tantum: aut, si extra hos dies habebitur, in semiduplici tantum fiat et cum tribus Orationibus.

SOLUTIO QUAESTIONIS

pro mense Maio 1900 (1).

PROPOSITIO.

Quaestio haec erat : Color paramentorum in universis functionibus ecclesiasticis est ne praeceptivus ? Quid de rosacco, caeruleo, aut flavo ?

SOLUTIO.

Nomine functionis ecclesiasticae venit quidquid a Sacerdote, prout Sacerdos est, agitur in nomine sanctae Matris Ecclesiae et eiusdem auctoritate fulto Hinc sicut Missae sacrosancti Sacrificii celebratio, sive lectae, sive cum cantu, imo in pontifica-

(1) Propositae quaestionis solutionem tres ex consciatis nostris ad nos dederunt, scilicet Amedeus Mancini, Anastasius Fourneret et I. Ioly, Omnes eamdem sententiam tenent. Uniuscuiusque laudibus commendamus: primam seligimus, quam praemio donabimus.

libus, est functio ecclesiastica, sic Sacramentorum administratio, sacramentalia omnia, processiones, expositio XL Horarum, solemnis vel privata Venerabilis Eucharistiae benedictio, functiones ecclesiasticae nuncupari possunt. Missae Sacrificium, Sacramentorum administratio, nonnullae benedictiones, sacramentalia quoque permulta, propriis nominibus condecorantur, sed nemo non videt haec omnia vere dici posse et vocari : functio ecclesiastica, et nomen proprium nequaquam excludere genericum posse. His praemissis ad propositae solutionem quaestionis venimus. Color paramentorum in universis ecclesiasticis functionibus est ne praeceptivus : Equidem fatendum est, in contraria scindi ea super re auctores liturgicos, imo et eos qui de hac lege quantum ad moralitatem agunt. Audi Ferrari definientem : *Rubrica de coloribus paramentorum non est praeceptiva.* Idem pronunciat cl. Quarti : *Respondeo esse directivam* (rubricam de coloribus paramentorum) *neque inducere obligationem :* ita alii perpauci. Verum oppositam opinionem, nunc saltem, nullum admittere dubium, certum et exploratum est : 1. Quia verba legis obligationem important, qualia sunt : *Paramenta altaris debent esse coloris convenientis Officio et Missae diei.* Quae verba vim sumunt ex Bulla S. Pii V ipsi Missali Romano praemissa : *Mandantes et omnibus districte praecipientes in virtute sanctae obedientiae, ut Missam iuxta ritum, modum et normam in Missale praescriptam decantent et legant.* Quibus satis constat moveri quaestionem posse de qualitate quidem, sed non de substantia obligationis. Confirmatur quoque pluribus decretis S. R. C. ut in una *Vicen* 19 Decembris 1829 (*num.* **2675**), in una *Marsorum*12 Nov. 1831 (*num.* **2682** ad 30), quibus maxime duobus decretis praecipit S. C. R. *servari omnino rubricas de coloribus paramentorum.* 2. Fatentur adversarii iidem, non posse hanc rubricam negligi, absque aliqua saltem veniali culpa : licet ob scandalum, eadem culpa posset evadere mortalis, ut si quis nigro uteretur colore die solemniori Paschae. Profecto si lex non est praeceptiva, sed directiva, nullam obligationem inducere necessum est. Si ergo nulla est obligatio, nulla sane culpa in ea negligenda patrabitur. Cum itaque culpam, levem saltem, ex adversariorum confessione, committant qui rubricam hanc non observant, iure concludimus, eam inducere obligationem, proindeque praeceptivam esse.

Verum dico, non ita gravem esse legem, ut causa aliqua, vel boni cuiusdam obtinendi, vel mali evitandi ab ea custodienda dispensare non valeat. Hinc si bonum, quod inest in Rubricae de colore paramentorum observantia, comparetur cum bono, quod Sacri proprium est, ceterarumque sacrarum functionum, certo certius hoc illi maximopere praevalet. Si ergo utrumque bonum, id est, observantia Rubricae et Missa et functio aliqua, obtineri non possit, profecto curandum est ut illud obtineatur, quod maioris est momenti, minori posthabito. Ergo concludi iure potest, Rubricam de colore paramentorum praeceptivam esse, a cuius tamen observantia iusta quaedam et rationabilis causa absque dubio excusare potest.

Dices : verba, decreta, auctores usque huc prolata de sancto Sacrificio Missae locuti sunt ; sed quid de reliquis ecclesiasticis functionibus ? Per identitatem rationis respondeo. Sane. Quaenam ratio ex qua ducta Ecclesia in sacrosancto Missae Sacrificio varios praescripsit colores ? Procul dubio fuere mystica significatio et sacrarum functionum decor. Nonne haec ratio et pro caeteris militat sacris functionibus, praeter Missae celebrationem ? Color albus, revera, adhibetur in festis Domini ob gaudium et gloriam, et in festis B. Mariae V., confessorum, virginum, aliorumque non martyrum ob candorem innocentiae et puritatis ac in signum gloriae et immortalitatis, quam adepti sunt, uti sancti in Apocalypsi repraesentantur amicti stolis albis : nonne agitur festum et decantatur gloria Christi in expositione SS. Sacramenti, in Ecclesiarum consecratione, in benedictione et impositione primarii lapidis pro Ecclesia aedificanda, in benedictione domorum in Sabbato S. Paschatis etc. ? Ergo merito adhibetur in his functionibus color albus.

Violaceus qui est quasi pallidus et lividus, qualis ex carnis maceratione et ex afflictione consurgit, convenit diebus poenitentiae destinatis : merito ergo hic praescribitur color in quibusdam processionibus et benedictionibus in signum poenitentiae, et ob identitatem rationis in reconcilianda Ecclesia violata et aliis quamplurimis sacramentalibus.

Niger, qui est proprius mortis, quae nos privat lumine vitae et ad sepulcri tenebras detrudit, merito adhibetur in Missis et officiis defunctorum, et iisdem rationibus in exequiis et asso-

ciatione defunctorum. Ergo ratio Ecclesiae praescribentis varios colores in functionibus eadem est; qua statuit colores ipsos in Sacris peragendis; huic sicut pro Missae celebratione est praeceptiva, ita et pro reliquis ecclesiasticis functionibus.

Insuper verba Pontificalis et Ritualis Romani, praeceptum sonant: dicitur enim saepe saepius: *Sacerdos utatur stola..... pluviali.... coloris* etc. Verbum *utatur* nonne imperativum est? Ergo. Denique Ecclesia, etsi sponsa sit circumdata varietate, tamen optat ut uniformitas sit in functionibus sacris, ne scandalum populus patiatur, et ne proprio marte, sed iuxta leges Sacerdos sacra peragat. Ergo.

Sed quid de coloribus rosaceo, caeruleo et flavo? Sic procedimus ad hanc quaestionem. Ii tantum colores adhibendi sunt in sacris functionibus, qui vere colores liturgici sunt. Atqui, si rosaceum excipias, caeruleus et flavus non sunt colores liturgici. Ergo stricte loquendo adhibere nequeunt in sacris functionibus. Minor probatur: Color caeruleus non est neque vere albus, neque vere rubeus, neque vere violaceus. Usus huius coloris tantum alicubi permittitur in Missis de B. V. Conceptione Immaculata. Cum permittitur est praeter legem agere, et S. R. C. 12 Februarii 1884 (1) vi alicuius analogiae permittens colorem caeruleum in festo Immaculatae Conceptionis, hanc tantum designat festivitatem. Ergo cum aliae sint festivitates B. Mariae V. et pro Conceptione tantum permittatur caeruleus, dicendum, non vere esse colorem liturgicum. Flavus color pariter non est color liturgicus. Pluries paramenta ex tela serica flavi coloris a S. R. Congregatione prohibita sunt (24 Sept. 1837; 29 Martii 1851; 5 Decem. 1868 ut alia omittam). Ergo.

Dixi superius: si rosaceum excipias. Et sane, rosaceus color liturgicus est, admittitur enim eius usus bis in anno, quando pro Missa conventualis solemniora adhiberi permittuntur paramenta, dum tempore poenitentiae luctus aliquatenus relaxatur, quamvis in casu, ex usu universali promiscue rosaceus et violaceus accipitur (Caeremoniale Episcoporum Lib. II, cap. 13, n. 11, et cap XX, n. 2). Haud tamen licite rosaceus semper usur-

(1) Decr. hoc e nova collectione exulavit sive quia particulare, sive ne aliis Ecclesiis ansa praeberetur idem privilegium petendi. Etenim S. R. C. legis observantiam peroptat. (*Nota Redactionis*).

pari valet pro violaceo, sed tantum praefatis duobus diebus, nempe in Dominica tertia Adventus et quarta Quadragesimae: tunc enim, dum Caeremoniale, in defectu rosacei, dicit adhiberi posse paramenta violacei coloris, inferius tamen in eodem paragrapho etiam haec habet: « Idem (nempe paramenta adhibentur sumptuosiora) quando in ea (Dominica quarta Adventus) inciderit vigilia Nativitatis D.: sed paramenta sint coloris *absolute violacei* ». Ex quibus verbis, Caeremoniale videtur innuere rosaceum colorem quid magis solemnioris secum ferre, et ideo non licere rosaceo pro violaceo colore uti. Nihilominus, ut iam diximus, ex praxi universali et eo magis ex defectu, rite violacea usualia paramenta adhiberi posse dicimus, quoties rosacea seu sumptuosiora violacea praescripta sunt. Animadvertendum est insuper a rosaceo vix differre colorem violaceum: hic enim si dilutus, velut in rosaceum transit: si satur, velut in nigrum. Hinc experientia abunde constat, inter plures violaceas planetas vix unam eiusdem reperiri coloris, adeo alius violaceus ab alio violaceo colore differt.

Concludimus: Color paramentorum in universis functionibus ecclesiasticis est praeceptivus; et uti colores aliturgici habendi sunt caeruleus et flavus, liturgicus vero rosaceus.

Sac. Amedeus Mancini Miss. Apost.
Curio S. Bartholomaei
Professor S. Liturgiae in Seminario Tifernatensi.

QUAESTIO SOLVENDA

PRO MENSE IULIO 1900.

Quando ante Sacramentum, vel asservatum in tabernaculo vel solemniter expositum, genuflectendum est, eodemque in loco **manendum**, necesse ne est unicum genu flectere, surgere et se in statu genuflexionis ponere in primo casu, utrumque genu flectere caput inclinando in altero casu, surgere, et deinde ut supra in statu genuflexionis se ponere? An sufficit se in statu genuflexionis ponere in utroque casu, cum capitis inclinatione in altero, quin prius genu vel genua flecti debeant et surgere?

IMPRIMATUR.
P. Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. A. Magister.

G.B. Agnolucci, gerente responsabile

Roma — Tip. Partenopea, F.lli Amoroso, Campo Marzio, 46. int.